



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christophori de Ortega Sanclementini, E' Societate  
Iesv. Qvondam in Provincia Toletana Theologiæ  
Scholasticæ publici Professoris ... Tractatvs Dvo, De  
Trinitate, Nec non, Incarnatione**

**Ortega, Cristóbal de  
Lugduni, 1664**

Disputatio II. De his, quæ sibi, & aliis Christus de facto est promeritus?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94251](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94251)

illud certum fixumque maneat, Christi in caelis interpellationem orationem proprie non esse: Quare negandum esse obiectionis antecedens.


Ceterum cum certum sit beatorum in caelo orare, & nobis impetrare, ut constat ex num. 4. quid dicendum de consequentia erit? Etenim eos non mereri in caelo æque certum est ex dictis cert. 2. num. 5. quare miror Vazquez nostrum tam certam ex oratione, & impetratione ad merita consequentiam reputasse. Etenim, vel oratio, & impetratio sanctorum pro nobis in caelo neganda est contra data fundamenta, Ecclesiam, & historias Ecclesiasticas, in quibus, & B. Virgo oratione atque vberum ostensione, à filio, plurisque sanctos deprecationibus plura dona gratiæ devotis sui hominibus impetrasse narrantur, vel meritum illis in caelo erit concedendum saltem respectu præmij ab aliis recipiendi; satius ergo erit negare consequentiam, quam in alterutrum absurdum incidere. Nec consequentiæ certitudo fundamentum in Augustino habet: licet enim asserat si fides impetret remissionem peccatorum, hanc sine merito non fieri, bene infert ratione materiæ ex fidei impetratione, meritum: quia bona opera, ex quibus fides est, non impetrant nisi meritorie; malè autem inferret ex impetratione præcisè. Nam oratio secluso omni merito ex sola præcantis dignitate impetrat petita: ut de Christo suoque gradu de sanctis beatisque dicatur, *exaltari à Deo pro sua reuerentia.*



## DISPUTATIO II.

### *De his, qua sibi, & aliis Christus de facto est promeritus.*

**Q**UATUOR haftenus actibus tempore, valore, & modo meritorum Christi Domini, quidam eis meritis, siue sibi, siue aliis, Angelis scilicet, & hominibus in statu, vel innocentia, vel lapsus fuerit promeritus, examinandum est: qua in eadem regula est in questione de facto, atque de possibili: quidquid enim gratiæ, cum humanitati, tum aliis rationalibus creaturis præsum à Deo fuit, nisi repugnet sub merita Christi venire, Christi meritis obuicisse, cum ob eorum infinitatem, tum ob Christi Domini gloriam, fatendum est.



## QVÆSTIO I.

### *Quidnam sibi Christus promeruerit?*

**Q**UOD plura sint in Christi humanitate bona præstita à Deo, v.g. corporis, gloria, nominis exaltatio, materiæ & formæ reunitio, in resurrectione, actus meritorij ipsi, provt à Deo sunt, vnio hypostatica, gloria animæ, scientia infusa, gratia habitualis, ceteraque dona à nobis supra assignata, non oraria dignitates Domini, imperij, Sacerdotij, &c. De his omnibus statuenandum in hac questione erit.

## CERTAMEN I.

### *Affirmativa questionis deciso De facilibus.*

**D**ICO primo corporis sui gloriam Christus meruit, ita omnes Theologi; cum Magistro in 2. d. 18. & S. Th. 3. p. q. 19. a. 3. Vazquez d. 78. c. 1. Sotus d. 4. sect. 3. Lugo d. 27. sect. 2. Vuadingo d. 10. dubio 6. Bernal. d. 55. sect. 3. §. 2. uterque Hurtado ac reliqui Thomista, Scotista, Vazquiani, & Soarista. Probat primò: quia est contra Caluinum 2. inst. c. 17. 4. vlt. Secundo: quia nulla in eo repugnantia absurditatis apparet adhuc cogitatur. Tertiò: quia est in Scriptura satis expressum Lucæ 24. *nomine oportuit patri Christi, & ita intrare in gloriam suam* & ubi illud ita causam gloriæ in passione ponit: quæ, vt minimum, gloria corporis intelligi debet. Ad Philipp. 2. *factus obediens usque ad mortem, morti autem Crucis propter quod & Deus exaltauit illum* (vt ait August. ad id Psalmi 109. *De torrente in uia libet propterea exaltabit caput*) à mortuis in resurrectionis gloriam Ad Hebr. 2. *lesum propter passionem suam, gloria & honore coronatum.* Hinc plurimum est: & gloriæ corporis affectas dotes sibi fuisse promeritum: agilitatem, claritatem, atque impassibilitatem, siue earum expedita. Denique corporis sui in cælum cum ingenti pompa & maiestate ascensum, & ingressum: ideo Angeli Esai 63. rogabant *quis est iste, qui uenit, de Edom, tinctus uestibus, &c.* & Psal. 23. *attollite portas Principes uestræ, & introibit Rex gloria:* aiebant Triumpho illius stipatores Angeli: quibus alij quasi rogantes accinebant, *quis est iste Rex gloria?* & audiebant verò ab stipatoribus, *Domini uirtutum ipse est Rex gloria.*

**D**ICO secundò, meruit sui nominis exaltationem. Est omnium Patrum, & Theologorum conclusio. Probat primò: quia est contra Caluinum supra. Secundo: quia nil continet, vel repugnantia vel absurdum. Tertiò: quia adhuc est expressior in Scriptura uerbis datis ad Hebr. 2. atque post recitata ex 1. Philipp. immediate dicitur: *& dedit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine Iesu omne genu flexatur:* scilicet propter humanitatis humilitatem usque ad mortem Crucis ex obedientia, tanquam meritoriam causam, vt omnes Patres interpretantur, Ambros. ibi Chrysol. hom. 7. in eam Epist. Basil. 4. contra Eunom. ad eum locum Aug. tract. 104. in Ioann. & in Psal. 109. & 2. contra Matrim. c. 5. lib. 3. c. 2. Cyril. 3. Thesau. c. 1. & 11. in Ioann. c. 17. Adde Apocal. 5. *Dignus est agnus, qui occisus est accipere uirtutem, & Diuinitatem, sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem;* illud autem, *qui,* tantundem valet *ibi ac quoniam:* sicut paulo ante eius loco positum fuit, *quoniam occisus est:* est autem gloria, honor, & benedictio idem atque confessio illius cum laude, & adoratione ab Angelis, & hominibus: quæ est planè nominis exaltatio iuxta dicta ex 2. ad Philip. *omne genu flexatur caelestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur.* Hanc conclusionem de fide censeo; eliquæ oppositum errorem. Primam uerò ita certam: vt opposita temeraria prorfus sit, errorique proxima.

**D**ICO tertio: meruit sibi Christus iudiciariam in homines potestatem cum priuati, tum publicæ cum maiestatem exercendam ita S. Th. 3. p. q. 59. a. 3. Vazquez citatus, c. 2. num. 10. cum aliis. Probat ex Ioan. 5. *dedit eum iudicium facere, quia filius hominis est.* Ex quo id etiam probant Vigilius Pa. 5. contra Euth. Cyril. 2. in Ioann. c. 144. Aug. serm. vlt. de Verbis Domini, licet non adeo clarè postremi, Chrysol. hom. 8. in Ioann. vt omne etiam apprens præsidium erroris Pauli Samosatani de puro homine Christo auferret, aliter eum locum exponere. Probat secundò: quia nil in eo est repugnantia, vel absurdum. Probat tertio: bene

bene Vazquez: quia licet iudiciaria hæc potestas vnionis iure Christo competat quâ homini, æque, imo verò magis, ei competit iure redemptionis, vt veniens cum seruis, quos redemit quibusque bona sua fuit impertitus ponat rationem, vt sæpe variis parabolis Christus Dominus in Euangelio expressit: quamobrem, licet Angelorum Dominus sit, non est adeò constans, eum illos, quoad essentialia præmium, vindicturum esse, quia nec adeò constans est an illis illam pro eo priori, ex quo suam gloriam meruerunt, meritis suis Christus obtinuerit, de quo q. 2.

4 Dico quartò. Meruit sibi Christus reliquas humanitatis honorarias dignitates, Dominij, Regni Sacerdotiique enumeratas, quas habiturus concluditur Christus, quod de torrente (passionis suæ iuxta Patres) in via liber propterea exaltauit caput; ac de regno & Dominio quidem ex Psal. 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos Episcopi.* vt explicat August. lib. de vnitate Ecclesiæ c. 7. & 8. Ratio autem est, quia licet dignitas fundamentalis, imò & formalis in actu primo, nondum proximè ad earum vsum expedito, ad hæc omnia vnio hypostatica sit, quâ humanitas & creatis cæteris præcellit, estque vnita oleo Deitatis, vbi primum vnita intelligitur, aut vnita esse physicè potuit, quin eas dignitates haberet in actu primo proximo ad vsum expedito earum, qui quidem ex Dei voluntate pendet insuper, vt communicetur, atque è Christi hominis voluntate vt acceptetur in qua meritum adfuit: quare, licet vnionem siue vnionem ipsam physicè promereri non potuerit, (de quo inferius dicemus) aut hæc dignitates quoad actus primi expeditiorem ad earum vsum potuit promereri. Capitis etiam dignitas cum duo dicat, & præcellitiam respectu membrorum & virtutem influxiuam in ipsa, ad hanc verò virtutem influxiuam in actu primo proximo ad eius vsum expeditam vterius, & Dei & hominis Christi voluntas, & constituens eiusmodi hominem in reliquorum caput & acceptans, necessaria etiam fuit, licet ad præcellentiam solum decretum Dei de vnione hypostatica sit factis quæ fortasse sub Christi merita cadere nequit, quare absolute dignitate capitis meruit, vt bene Sotus in 4. d. 47. q. 1. a. 2. quia quovisq; vltimo ad earum vsum expedita sunt, perinde sunt, ac si non essent dignitates enumeratæ.

5 Dico quintò reunionem materiæ & formæ in resurrectionem, reliquosque primò meritorios actus, quatenus à Deo sunt, promeritus de facto fuit. Prima pars probata fuit ex 2. ad Philipp. illis verbis *propter quod, Deus exaltauit illum, & illis Psal. 109. propterea exaltauit caput.* Iuxta Augustini explicationem datam num. 1. medio. Secunda pars est Soarj supra, & Bernalis num. 64. licet contra Vazquez num. 13. Granad. tract. 14. d. 2. sect. 2. n. 18. Ratio est facilis: Quia primo actui vel actibus primi instantis Christi Domini adfuerunt omnia, quæ necessaria sunt, vt promerentur à Deo actus reliquos meritorios, prout à Deo sunt, siue auxilia efficacia ad illos: ergo reliquos actus, prout sunt à Deo donaque Dei, primo actu vel primis actibus fuit promeritus. Obicit Granad, primus actus Christi fuit valoris infiniti: ergo adæquat in ratione præmij infinitum valorem meritorium actus cuiusvis: ergo vnus actus nequit promereri plures alios actus Christi, prout à Deo sunt: imò, ne vnus quidem hominis, ne dum omnium reparationem, cum hoc præmium aliquid sit supra actum promeritum qui adæquat ad amissum præmium actus promerentis erat. Si enim aliquid vterius condignè mereretur, præmio illius actus non adæquaretur, sed excederet. Respondetur negando primam consequentiam, Nam vt infiniti valoris est, non est præmium sed solum vt à Deo est, est autem à Deo ratione collationis auxiliij efficacia, quod quidem finiti valoris est.

6 Dico sextò, meruit sibi scientiam infusam, sal-

tem ferè omnem. Est contra Suar. d. 39. Bernalis proximè num. 63. ac Petrum Hurtado: est autem nostræ Vazquez conclusio vbi proximè, & aliorum. Ratio ipsius est: quia, vt dicebamus ex ipso concl. 3. num. 3. meruit sibi iudiciariam potestatem: ad hanc verò exercendam necessaria est subditorum, & actionum eorum omnis, vel plenificientia: ergo & plenificientiam infusam meruit sibi. Debilis ratio: Quia per scientiam earum rerum in Verbo (quæ beata scientia est in aduersariorum sententia) potuit dirigi Christus, ac regi ad exercitium rectum iudiciariæ illius potestatis: quare plenificientia infusa necessaria ad potestatis illius exercitium non fuit. Sed esto fuerit scientia ad iudiciariæ potestatis exercitium necessaria, non tenet adhuc consequentia. Nec enim omnia quæ necessaria ad rectum potestatis vsum inueniuntur, sub eius qui eam meruit potestatem merita cadere necesse est. Patet id quidem in potentiis, intellectiua, & volitiua, quas, licet ab animo distinctas atque vfu potestatis iudiciariæ necessarias, fuisse promeritum Christum, qui eiusmodi potestatem fuerat prouenerit, Vazquez non concedit. Patet in ipsa anima & existentia Christi, quam nusquam meruit, licet ad eum vsum maximè necessariam.

Dices: hæc supponuntur ad scientiam infusam. Sed hoc verum de potentia volitiua non est, si ab animo distinguatur.

Instabis: supponuntur necessario ad quodvis meritum, ac proinde sub meritum cadere non possunt. Sed contra: quia sicut ea ex naturâ suâ iusta plenificientia infusa potest dari independentèr à meritis, idloque titulo vnionis, quo in casu, quantumvis necessaria ad iudicandum esset, non posset tamen sub merita venire: solum ergo ex eius necessitate ad vsum iudiciariæ potestatis non probatur firmiter conclusio.

7 Probatur ergo conclusio. Quia actu Charitatis Dei regulato per scientiam vnionis, liberòque, vt diximus in Christo, potuit scientiam infusam promereri & omnem quidem, nisi obstarè, quòd vnionem beatam per actum regulatum per cognitionem aliquam infusam fuerit Christus promeritus, vt dicemus, qui proinde necessario debet ad vnionem beatam meritumque illà regulatum supponi. Idè ergo, & ne conclusionem hanc ab ea opinione de libertate actus Charitatis sine vnionis Dei præiudicio dependentem reddam, Probo secundo: quia actu meritorio misericordiæ regulato per scientiam infusam, de illo obiecto potuit Christus scientiam infusam ac speciem, vel species aliorum obiectorum omnium, quæ ad illum actum non præcedebant naturâ, promereri.

Oppohit Bernal: quivis actus scientiæ & virtutis in Christo supponit habitum infusum, si supernaturalis est, vt possit connaturaliter fieri; si naturalis, vt eliciatur expedite & decenter ab humanitate. Verum assumit falsum in antecedenti, in hæc enim habitus supernaturalis non requiritur, vt actus connaturaliter eliciatur à potentia, quæ æquè connaturaliter cum auxilio extrinsecò, vel habitu assistente operaretur; sed, vt habitus ipse connaturaliter existat, quia accidens est: quare, licet actus vnus scientiæ infusæ cum auxilio extrinsecò habeatur, vt per illum reguletur actus meritorius scientiæ infusæ siue supernaturalis speciei vniuersalis (si in ea scientia habitualis consistat) connaturaliter eliceretur: ad actum verò naturalem siue scientiæ siue voluntatis habitus non dari ab speciebus diuersos probabam controuersia de anima. Denique, vt Christo Domino aliquid ex his, quæ de facto habuit datum de facto in præmium negemus, non est satis quod connaturaliter dari nequeat, sed quod dari in præmium absolute non possit, quomodocunq; iis, quæ de facto fuerunt Dei prouidentia, disponatur.

8 Dico septimo meruit sibi habituales gratias, quatenusque habuit ita Rubion in 3. d. 18. q. 1. ar. 2.

Basol. a. 3. Maior. q. 2. Antifiodor. apud Carthianum, q. 1. reputatque probabile Soar. d. 40. sect. 1. est tamen contra Lugo, & Bernal. supra Granad. citata sect. 2. num. 16. & alios ab ipso citatos num. 1. S. Thom. dubia mens. Nam q. 19. a. 3. videtur negare ob rationem iam ex ipso dandam q. 34. art. 3. docet Christum non habuisse suam accidentalem sanctificationem, sicut pueri, sed ob proprium actum, & meritum. Probat: quia in eo nulla est repugnancia, nullum absurdum: ergo meruit de facto quamcumque habuit gratiam habitualementem.

Opponunt aduersarij ex S. Th. quia non posset habere illa pro instanti, quo eam mereretur, sicut nec gloriam corporis habuit, dum illam merebatur, est autem indecens humanitatem Christi aliquandiu tanto dono carere. Negatur facile antecedens, quod paritas gloriae corporis non probat. Nec enim ideo non adfuit Christo, dum eam merebatur, quia primum quod non dignificat meritum, (vt gratia in Christo non dignificabat) nequeat dari cum illud mereretur, sed quia oportuit, vt passione humanitatis redimeretur.

Obiicit Granad. vno est prior merito Christi: ergo & gratia habitualis, vnionis passio, prior etiam erit. Permittit esse passionem physicam: & nego consequentiam. Obiectat Bernal. habitum gratiae idem est cum habitu Charitatis: ergo praecedit infusus actum Charitatis, vt connaturaliter elicatur: ergo & omne meritum. Nego primam consequentiam iuxta dicta n. 7. ea insuper data nego secundam, quae nullatenus inferretur ex illa.

Hanc verò, & reliquas conclusiones datas impugnat Caluinus. Christus sibi aliquid meruit: ergo non nobis solum natus datusque est, iuxta Isaiae, & Zachar. 9. Nec est cur tantopere Dei erga nos in incarnatione & passione charitas commendetur Ioann. 3. & Roman. 8. cum suae humanitatis negotium illis ageretur; Responderetur nostri solum causam & sine Deum incarnatum esse, passumque Christum: licet ex incarnatione, & passione sint commoda humanitati parata, non intentam, saltem primario, idque quin aliquid meriti à nostra reparatione ad ea consequenda diuiteret.

Obiicit secundò. Quod debitum aliunde est praemium esse nequit: haec autem omnia debita humanitati sunt titulo vnionis praesupposita: ergo nequeunt esse praemium meritorum Christi. Distinguo maiorem, debitum aliunde titulo iustitiae, transcat: titulo dignitatis solum, nego maiorem. Titulus autem vnionis ad ea omnia dignitatis est solum, non iustitiae. Vnde nego consequentiam.

Dices tandem. Titulo vnionis darentur ea omnia humanitati de facto, etsi merita abessent: ergo non sunt data ob merita; alioqui eis deficientibus non darentur de facto. Nec hic habet locum doctrina de duplici motiuo ac titulo adaequato ea conferendi; cum enim titulus vnionis natura praecedat titulum meritorum, si ille adaequatus sit, pro priori natura ad titulum meritorum; erunt ea omnia à Deo humanitati collata, ab eaque praehabita: quod autem praehabita est materia praemij pro posteriori esse non potest. Melius negabis antecedens: quia ea conferendi adaequatum motiuum merita & vno fuerunt Deo, quare illis deficientibus ex vi praesentis decreti, quod plane non fuisset ea non darentur, solumque dari ex alio possent, quod vnionis titulum pro adaequato motiuo haberet. Sed nescio an melius? Nam licet vno sit motiuum adaequatum, expectari à Deo potuit aliud adaequatum posterius natura futurum, & tunc demum ob vnum quodque eorum adaequata ea omnia humanitati donare.

## CERTAMEN II.

*De essentiali gloriae animae Christi, siue visione beata.*

**E**ssentialem animae gloriam siue beatam visionem sub Christi merita cadere non posse docent S. Th. q. 19. ar. 3. vbi Caiet. & Thomista S. Bonau. in 3. d. 18. a. 2. Richar. ibi. q. 1. Gabr. q. 1. vni. ar. 2. concl. 3. a. 3. dub. 2. Almain. q. 1. concl. 3. Palud. q. 2. ar. 3. p. 2. Marfil. q. 1. 2. ar. 1. concl. 3. Scotus q. vn. c. 5. *Hac visio* cum suis Durandus q. 3. num. 6. Sotus in 4. d. 21. q. 2. 2. post primam conclus. Henricus quod 1. 6. q. 6. Alex. 3. p. q. 14. m. 3. 4. 1. ad 2. & 3. Canus 12. de locis. c. 1. 4. Driedo de captiuit. & redempt. Gener. hum. tract. 2. c. 2. p. 3. conclus. 4. Valq. d. 7. 8. a. cap. 2. vbi omnes Doctores antiquos praeter citandos profertentia 2. refert. Granad. tract. 14. d. 1. sect. 2. Ratio. S. Bonau. quia visio Dei fuit dispositio Rationis ad vnionem. Inane & contra omnes, qui visionem humanitatis, titulo vnionis, datam fatentur. Henriquez, quia ex intima praesentia Dei per vnionem oritur necessario, & inevitabiliter tanquam passio visio Dei: nequit autem passio sub merito cadere, nisi quatenus est, cuius passio est, potest sub merito venire: cui rationi, & Canus insistit. Contra: nam est passio sit physica, non ita necessario conferenda est, vt nequeat meriti motiuum etiam spectari. Secundò: intima Dei praesentia per vnionem factis non est, vt sine lumine gloriae possit videri, nedum videatur necessario Deus: sicut nec factis ex intima Dei praesentia per immunitatem. Responderet Canus prius vnium esse menti, seu intellectui Verbum per vnionem, quam substantiae animae, vel humanitatis. Sed in primis vno physica solum fuit, non intentionalis, quae nil amplius praestat, imo admittit accidens prius naturae hypostaticae assumptum, quam substantiam animi, & humanitatis, cum tamen assumi hypostaticè accidens communis negetur. Si autem vno eiusmodi intentionalis fuit ad mentem, deferret Henrici rationem Canus, & migrat ad S. Bonauenturae rationem iam impugnatam; atque insuper cum visionem, seu vnionem intentionalem naturae praecedere ad vnionem hypostaticam asserat, merito erga vnionem hypostaticam det locum, dum illud erga visionem excludere conatur.

2. Vasquez c. 3. probat, quia status beatitudinis, seu visionis ineptus est ad hanc promerendam. Contra: quia vel visio secundum se praesens rationem mentis excludit, vel solum quatenus excludit statum vitoris sit secundum, licet in hac vita meritum visionis Christi, sicut, & aliorum quae de fide nobis meruit, & quae sibi ex Vasquez sententia, nisi aliud obstat, quia non excludit ab illo statum vitoris; primum cum fide de merito Christi pro nobis in hac vita, in qua semper visionem habuit beatam, constare nequit. Responderet Vasquez visionem necessario praecedere bona opera omnia Beatorum: ac proinde sub illorum meritum cadere non posse. Nam de charitate constat, cum sit illius principium, ac de aliis, ad quae ex charitate efficacius aguntur Beati: quare ea omnia fructus beatitudinis sunt. Sed haec in primis non solutio, sed alia Ratio esse, quam ipse affert ex S. Th. Scoto. Gabr. Almain. Paludano, & Durando. Contra secundò: quia, vt dixi d. 1. q. 2. cert. 1. num. 1. & à fine numeri 3. visio ex sola sui existentia non inferri priuatiue necessario in Dei adhuc amorem, nedum in aliarum virtutum affectus, potest enim Dei amor ex alia scientia quam sit beata prouenire, eoque mereri Christus visionem. Item cognitio, quam de suis actibus elicis Christus in eodem instanti habuit, in eos non influit, & quidem Vasquez ipse c. 3. num. 16. §. vlt. fatetur naturalium rerum cursu influere necessario debere visionem in

in amorem, & bona opera beatorum; diuinâ verò potentia posse aliter contingere: ergo & absolute poterit visio sub merito operum eorum venire contra eam sententiam.

Tandem arguit ab absurdo: quia si per actum simul tempore existentem potuit Christus visionem beatam mereri: ergo & per actum tempore subsequens ad visionem. Sed absurdum non percipio in consequentia. Probat Scotus: quia amor Dei, quem visio causat, est amor finis, qui prior est amore mediorem, cuiusmodi sunt effectus reliquarum virtutum. Sed id fortasse verum haberet, si visio & amor non præuenerentur, ut posse contendimus, affectu alicuius virtutis, sub cuius merito visio caderet. Denique probant alij: Scientia infusa, ex qua Christus meritorie tunc operaretur oriri deberet, vel saltem supponere lumen gloriæ, tanquam quid perfectius: quare, & visionem. Sed oporteret assumptum probari, quod est valde difficile.

3 Ob hoc fortasse Albertus in 3. d. 18. a. 4. Guilielm. de Rubion q. a. 1. Valent. 3. p. d. 1. q. 18. a. 3. punct. 3. §. *quidem*, Soar. d. 40. sect. 2. Ragusa d. 6. §. 1. Lugo d. 27. sect. 2. num. 10. Vnadingo. d. 10. dub. 5. 9. *dico secundo & dico terro*, docent Christum, potuisse quidem visionem beatam promereri; aut non fuisse de facto promeritum. Sed enim admitta possibilitate merendi, visionem meruisse de facto negari nusquam potest: cum id Christo gloriosius sit, nec valor eius infinis meritis possit deesse: quare dicendum nobis est de facto Christum visionem beatam meruisse. Ita docuerunt iam pridem Antifiodor. lib. 3. tract. 1. c. 7. inuit. Maior. in 3. d. 18. q. 2. Bafol. q. 1. a. 3. Ioann. Maion. d. 17. q. 1. Bernal. d. 55. sect. 3. & Recentiores Complutenses probabile reputant, Albertus Rubion, & Soarius sic de hac sententia concludens sect. illa. 2. *unde, qui illis temeritatis notam inuunt, temere sine dubio loquuntur*. Dedit Rationem conclusionis quia nec ex visionis natura, neque ex his, quæ de facto fuerunt, repugnat dari Christo ob merita visionem beatam, esseque gloriosius quæcumque dona, cum ipsi, tum aliis, donata sunt, atque intuitu meritorum suorum donari potuerunt, ita esse collata. Antecedens partim probatum solutione argumentorum pro sententia 1. partim aliarum solutione, quas subiiciemus. Sed hic Bernalis inconsequentia non omitam. Negabat enim meruisse Christum habitus quosuis, siue naturales, siue supernaturales: quia ante omne meritum, & scientiæ actum supponi debet sufficienter instructus, & omnino expeditus ad operandum; atque visio maximè expetit beatum ad omnem virtutis actum, magisque, quam habitus quiuus, ut patet, probatque Valquez citatus: ergo visio in tuis principiis supponi debet ad quemvis actum meritorium, nec sub vllum meritum Christi cadere poterit. Secundo ait num. 74. visionem, ut post passionem primariam vnionis, fuisse actum primum elicited ab humanitate, tamen in statu miraculose existentia humanitatis Christi sine Matre præmissos esse alios actus priores, ob quos visio daretur. Sed cum in eo etiam statu adesset vnio hypostatica habens pro passione primaria visionem beatam per te, non minus quam in alio statu in eo etiam actus primus humanitatis esset visio, æque atque in statu alio: quare sub nullius actus meritum cadere posset.

4 Opponit Lugo: exigentia vnionis ad visionem de se adæquata est, & naturalis: ergo independenter à meritis: ergo si visio donetur dependenter à meritis, donatur contra exigentiam naturalem, ac non sine miraculo, quod interfuisse constare deberet, ut data visio ob merita diceretur: non constat autem de eiusmodi miraculo. Bona æquiocatio est in consequentia secunda, Exigentia vnionis naturalis atque à meritis independentens est, non autem, ut datur visio independenter à meritis: quare, cum sic datur visio, contra exigentiam vnionis non sit, nec adest miraculum.

Meliùs probo intercessionem necessariam miraculi in donatione visionis ob merita: quia posita exigentia adæquata visionis pro hoc instanti durationis, si non datur statim, sed pro sequenti, erit in suspensione miraculum: ergo posita exigentia vnionis ad visionem pro immeditate sequenti signo naturæ ad vnionem, si suspendatur eius donatio ad posterius naturâ, nempe post merita, erit in ea suspensione ac dilatione miraculum. Respondetur negando consequentiam, quia, quod exigit vnio absolute est, quod datur visio in instanti durationis, quo ipsa est, non autem in instanti, aut signo naturæ, in quo ipsa est, nec in immediato, siue ut non expectetur alius titulus posterius natura vnione, ob quam datur: cum autem sic datur non datur mediâtè ob exigentiam vnionis, sed immediâtè, quia in linea alterius exigentiæ meritiuæ titulus ille est, non in linea exigentiæ meritorie, quia gloriosius Christo est titulo etiam suorum meritorum visionem, essentialémque beatitudinem habere, quam solo titulo naturalis exigentiæ vnionis: sicut de gloria corporis, vnionis titulo satis debitâ in ælulariorum sententia, aiebat Christus, *nonne oportuit patri Christum, & illa intrare in gloriam suam?* Instat tandem Lugo: visio beata debita est, titulo naturali vnionis præsupposito naturâ ad titulum meritorum: sed quod debitum aliunde præsupponitur materia præmij non est (nil enim commodi afferit merenti habere in præmium quod aliunde erat habiturus, & si non mereretur) ergo visio non est materia præmij in Christo. Multis se trices implicat ut huic argumento respondeant Recentiores Complutenses: cum tamen infirmum sit, & à Caluino obiectum, à nobisque dissolutum sit negotio facili: pro conclusionibus datis cert. 1. quas, licet dogmaticas de gloria Corporis, & exaltationis sui nominis merito Christi, æque impugnat. Nego Minorem de debito dignitatis: quia, cum eo titulo non teneatur Deus necessario dare, quod debetur, si merita accedunt, & impetrant, totam rei vtilitatem afferunt merenti. Secundo: quia gloriosius iucundiusque est rem industria partam habere, quam sine illa, ut Christus nuper aiebat.

5 Huc distuli rejiciendam doctrinam Petri Hurta-do qui. d. 163. sect. 1. subsect. 3. triplicis visionis beatæ in Christo distinctione præmissa, docet primam, quæ Deum solum representat sub Christi merita non venisse, secundam vero, quæ creata præterea (præter peccatum, & ex illo pendentiâ) primamque visionem, & amorem ex ea elicited & inde ortum amorem proponat: & tertiam quæ insuper secundam visionem, & amorem ex ea elicited ostendat meruisse vniam, vel alteram saltem, licet non rigidè, & absolute, sed secundum quid, pro primo incarnationis scilicet instanti. Mitto paradoxon triplicis visionis Deû. Nunc autem, quod huius quæstionis est, sic impugno. Omnes actus elicited antecedenter ad secundam & tertiam visionem necessarij sunt per te, nullatenusque liberi: ergo nequeunt esse meritorij secunda aut tertiâ visionis. Secundo: admisso merito Christi respectu alterius ex his visionis pro primo instanti, non est cur & pro reliquis non admittatur. Tertio: licet pro solo primo instanti Christus mereretur alterutram absolute eam mereri dicendus foret, sicuti, qui meretur gratiam, licet non mereatur eius conseruationem, absolute eam mereri dicitur. Quarto: falso supponit non meruisse Christum visionem illam Dei primam cum nulla in eo repugnantia absurditasve, nec ex rei natura, nec ex iis, quæ de facto fuerunt, intercedat, ut patet ex dictis; sed vnus adhuc scrupulus hæret. Tota ratio, ex qua ea omnia data Christo probantur à Theologis est dignitas vnionis: ergo vnio adæquatè mouet ut datur. Patet: nam, si adæquatè non mouet, ut data probentur, aliud, cum quo integratur adæquatam motiuum, quod de facto fuit aduocandum à Theologis esset, ut bene probaretur fuisse de facto data.

Respondetur

Respondetur dignitatem vnionis petere adæquatè ea omnia conferri humanitati non vticumque, sed modo decentissimo humanitati; modus autem decentissimus humanitati ea recipiendi est, ea recipere ob merita; quare hæc etiam expectari dignitas vnionis exigit. Bene ergo inferunt Theologi ex vnione ea omnia donari humanitati, licet non omnes modum donationis quo decentius ab humanitate recipiantur, à Deoque donentur, intulerint: qui perfectissimus & gloriosissimus humanitati esse debet, atque æque fore ex dignitate vnionis inferitur. Adæquatè ergo mouet suo loco & signo vnio; quin aliud, quod suo gradu moueret, licet vt de facto donarentur, aliud natura posterius exigit intercedere: quare ex vnione rectè inferunt Theologica omnia data, possuntque inferre ex meritis data: quæ solutio instantiam nostram quam num. 4. probabamus in suspensione donandi visionem, quo vsque merita adessent, fore miraculum, clariùs debilitat.

## CERTAMEN III.

*De merito vnionis hypostatica.*

**D**ico primo: Non meruit Christus nec potuit mereri suam vnionem hypostaticam adæquatè secundum totam eius durationem. Est omnium. Ratio communis Vasquianorum est, quia, vt secundum totam durationem mereretur Christus, deberet in aliquo instanti principium se ipso dignificans meritum cadere sub meritum dignificatum ab ipso, vel dari mutua causalitas & precedentia in eodem genere vnionis pro vno instanti ad vnionem pro alio, & vnio pro primo supponeretur dignificans opera meritoria suæ existentia pro secundo, & vnio pro secundo supponeretur dignificans meritum pro secundo ad sui existentiam pro primo, quod repugnat. Nec minus repugnat vnionem pro eodem instanti dignificare merita ad sui existentiam pro illo, vt patet, quod autem hoc necessarium sit, vt vnio secundum totam suam durationem cadat sub meritum, patet. Nam saltem vnus instantis vnio non potest cadere sub merita operum elicitorum pro instantibus aliis, vt dicebam: ergo, vt cadat sub merita, debet cadere sub merita instantis illius in quo ipsa est, ac non ex meritis aliorum instantium: ergo sub merita illius instantis dignificata à se ipsa. Probo consequentiam, quia vt supra ex Vasquez ostendebamus, implicat existere formam dignificantem in subiecto operante atque illa non dignificare: quia solà sui assistentiã, siue inexistentiã in illo dignificat opera: quare, si vnio hypostatica realiter in illo instanti est, implicat non dignificare opera humanitatis vbi primum in suo signo fuerint: quòd autem ob merita dignificata in eodem instanti ab ipsa vnione dari vnionem repugnet, apertum est. Nam merita dignificata, vt coniuncta cum vnione, naturã præcederent præmium in eo instanti collatum, scilicet vnionem: quare vnio esset prior & posterior naturã se ipsã, quod implicat.

2 Dices ex nostra doctrina cert. 2. num. 4. sine Res habita titulo meritorum & industriæ propriæ iucundior gloriosiorque est, quam si aliunde haberetur, ac proinde materia præmij esse potest: ergo vnio eadem habita independenter à meritis pro priori vt dignificet opera pro hoc instanti, dari poterit in præmium pro posteriori meritorum, vt iucundiùs, & gloriosius dependenter ab industria, & meritis humanitatis habeatur.

Dices esse repugnantiam, quòd in eodem instanti detur dependenter & independenter à meritis. Præterea crassam hanc repugnantiam in physicis, docens eundem terminum posse simul in eodem instanti creari

independenter à subiecto, & educi dependenter à subiecto, dicens, negandum esse terminum absolute non dependere in hoc instanti, nisi addatur vt creationis, quod non contradicit dependentiã in eodem instanti, quam habet vt educationis.

Dices secundò, repugnare, quia idem esset causa sui ipsius, seque ipsa prius, & posterius. Firma adhuc & indubitata erat hæc repugnantia in scholis: Sed adè nihil est humano discursui indubium, vt eam Recentiores nostri Valentini non negarint. Aiunt enim non magis repugnare rem esse priorem naturã se ipsa per actiones diuersas, quam esse se ipsã priorem & posteriorem per diuersas præsentias: quare non repugnare, vt idem seipsum reproducat, licet primo producere repugnet: quod addunt vt hæc doctrina mysterium Trinitatis non eueratur. Cæterum exemplo localis antecedentiã eiusdem ad seipsum per præsentias diuersas omnibus noto egregiè decepti sunt, vt contra omnes repugnantiam productionis rei à se ipsa negarent. Prioritas enim localis non est rei in se, sed in loco, seu presentia: quare ex diuersitate & prioritate vnus presentia, & loci, in quo per illam est respectu alterius, quã sit in loco posteriori, potest esse localiter idem & posterius & prius; aut prioritas, & posterioritas in causalitate actiua, licet sine actione non sit, est tamen rei secundum se suamque entitatem, & existentiam intrinsicam, quã nil se ipso realiter præcedere potest, quin sit in se prius quam sit in se, quod ex terminis repugnat ipsis. Secundo de conceptu agentis & causæ physice actiue est conueniens effectus: implicat autem aliquid se ipsum continere, ergo & esse causam actiua physice sui ipsius. Tertio de conceptu effectus est egredi à sua causa secundum suam entitatem: at implicat idem à se ipso egredi; ergo & esse sui ipsius effectum. Quarto quod sit ab aliquo recipit esse acti, quod solum habebat in potentia, antequam fieret ab illo: ergo nequit præsupponere suum esse actuale ex parte suæ causæ, vt supponere debet, vt fieri à se ipso queat. Quintò denique: de conceptu actionis est esse viam ab agente in effectum, vt exemplo via ab Athenis ad Thebas docuit sapie Aristoteles: via autem nequit esse nisi inter extrema diuersa, vt patet: ergo actio nequit esse eiusdem ad se ipsum.

3 Verùm licet hæc bene habeant de causa actiua physica: de causã verò actiua intentionali, siue exactiua, cuiusmodi sunt merita, non ita planè repugnantiam euincunt, quominus idem actiue se ipsum causare queat. Etenim eiusmodi causa effectum suum non continet, sed ab alio, in cuius virtute continetur, ipsum egredi exposcit, & quasi deprecatur, à quo insuper effectus egreditur in cuius potentia est, insuper inter quem & effectum via esse potest, seu actio, quia re ipsa sunt extrema diuersa: quare repugnantia assignata, quæ in causis actiuis physicis per influxum, in exactiuis seu actiuis intentionalibus videtur cessare: quare, cum merita præmium non actiue physice sed exactiue solum causent, non apparet repugnantia cur idem sui ipsius meritum in instanti eodem esse nequeat: imò vero probari facile videtur in rebus permanentibus naturã suã. Etenim hæc, cum primum sunt in hoc instanti, exigunt suam existentiam in instanti sequenti suamque entitatem, nec solum durationem; imò verò duratio à re durante nihilo in satis probabili opinione discriminatur: ergo potest causa exactiua aliqua suam existentiam & entitatem pro eodem instanti exigere. Probatur consequentia: quia tota repugnantia in causa exactiua, quominus sui ipsius existentiam, & entitatem in hoc eodem instanti exigat, in quo iam esse videtur esse, quòd eadem essentia & existentia prius naturã sit, quam se ipsa. Hæc autem repugnantia adæquatè cum suam existentiam & entitatem exigit pro instanti sequenti; eadem quippe entitas naturã præcedit existens ad se ipsam suamque existentiam: Nec restat precedentia

præcedentia in tempore, vt emolliatur repugnancia hæc præcedentia sui ipsius in causalitate & natura: ergo, si est causa actiua intentionalis siue exactiua sui ipsius pro instanti sequenti, illud in quo est, poterit esse exactiua sui ipsius pro instanti in quo est.

Reda: quit d. 8. sect. 6. à num. 69. Lugo discursum hunc nostrum in quem alij, ignaris nobis, videntur incidisse. Filius genitus in hac duratione potest Patrem mortuum in alia generari: & tamen non licet inferre: ergo & in hac, qua gignitur ab ipso, illum generare poterit: ergo, nec nostra valet consequentia: exigit suam entitatem pro alio instanti: ergo & pro hoc poterit exigere. Sed certè actioe diuersa nulla est repugnancia, quod filius in eodem instanti, quo gignitur Patrem producat, si potentia generatiua, & reliqua adesse in eodem instanti possent. Pone casum in igne producto, & producente, & admittam consequentiam, nemôque negabit de potentia absoluta, nisi qui negat aliquid posse simul duplici totali actione pendere. Ratio est: quia prioritas non est in entitate causæ, & effectus nudis, sed, vt coniunctis cum actione, & dependentia, quæ vbi distincte inter diuersos ponuntur, non infertur idem, vt realiter prius, esse realiter seipso posterius. Si ergo æqua vtrouique ratio sit, potius confirmatur hac tua impugnatione discursus factus, quam improbetur.

Impugnatur rursus: quia, si valet in causa exactiua, discursus valebit & in actiue physica, quod renuimus. Nam viuens causat physicè in alimento dispositiones, mediis quibus diutius duret in sequenti duratione, physicèque causetur: ergo, & quibus physicè causetur in hac duratione poterit causare. Plura tamen supponit probanda, & quod viuens causat physicè dispositiones in alimento, & quod hæc in instanti sequenti physicè causet viuens. Nam dispositiones in alimentum viuentis à dispositionibus inducuntur, & inducæ viuens exactiue solum, non influxiue, conferunt.

4 Sed verò, licet his discursus nosster non quassetur, ac proinde nobis aliquando placeret, tamen quia ex illo firmum, statum, & torque saculis apud Patres, & Theologos sanctum axioma solida philosophiæ innixum euerit, nempe, *principium meriti non posse adere sub meritum*, reiiciendus hic erit, negandumque viuens, & causam actiuam intentionalem, siue exactiuam se ipsam causare in eodem instanti posse, licet possit in diuerso, vt omnes fatentur. Ratio autem disparitatis est: quia ad exigentiam siue actiuitatem intentionalem requiritur existentia rei exigentis in eodem instanti, in quo exigit: si autem requiritur existentia rei in hoc instanti, vt exigit in illo suam existentiam, pro illo non poterit exigere: nil enim exigit ab alio quod habitum iam præsupponit: cum autem eadem res existens in hoc instanti, sui existentiam in alio sequenti nec habeat nec supponere debeat, vt pro illo existere exigit, poterit suam existentiam pro sequenti, exigere; insuper prioritas & posterioritas respectu vnus & eiusdem rei, in eodem instanti contradicit, secus in diuersis, vt patet. Licet autem actio è causa exactiua physicè non fluat, sed ab eo, à quo effectus exactus obtinendus est, tamen ante eam actionem existentia exigentis absoluta præcedit realiter cognita, vt moueat operaturum. Nec refert, licet præsupponatur per vnã actionem posse rursus fieri à Deo per aliam: ergo, & esse seipso posterior exactiue res eadem. Distinguo, per actionem quam exigit, præcedatque naturà res eadem, nego antecedens, quia illa opus non habet; quæ ex solo Dei arbitrio pendeat, fateor: & nego consequentiam. Ad objectionem ergo ex nostra doctrina desumptam constat ex impossibilitate data materiam præmij meritorum vnione dignificatorum ipsam vnionem esse non posse. Deinde: licet ea repugnancia non esset ex eo quod supponatur præhabita ex parte merentis, materia præ-

mij secundum suam entitatem esse nequit; quod enim meum iam erat possessiue, materia præmij non est, secus quod meum est iure dignitatis solum. Negarique potest absolute; tunc enim secundum se donari poterit ob merita, iucundiusque ob illa iam eueniet, vt dicebamus. Hactenus propugnata ratio communis est, in Vazquiana doctrina, pro qua diu steteramus pro conclusione prima, quàm hic statuēbamus eamque, etsi alienam latius persecuti sumus, atque contra aliorum solutiones obfirmauimus, vt doctrinas alias viles contra aliquas inutiles & paradoxas Recentiorum datis solutionibus contentas statueremus ea verò communis probatio Vazquianorum imbellis prorsus est. Vt enim controuerli. 3. d. 3. q. 2. cert. 2. n. 6: & 7. ostendebamus, vnio hypostatica eo ipso quod in præmij operis detur, eodem instanti temporis, quo illud ab humanitate pro priori naturæ eliciebatur, esse operi & operanti in duratione coexistat, illud non dignificaret, ob ibidem datas rationes: quare, etsi operibus humanitatis pro priori naturæ ad vnionem hypostaticam in primo instanti vnionis illius elicitis in præmij vnio hypostatica instantis illius primi donaretur, opera illa non dignificaret: nec opus proinde esset, vt principium dignificans meritum sub idem meritum caderet, quod dignificabat, vt argumento factò contendebatur. Solidè ergo conclusio nostra negatiua de facto & de possibili probanda est ex dictis controuerli. 3. d. 3. q. 1. cert. 1. n. 5. & 6. & cert. 2. vbi meritum animæ pro priori naturæ vnice hypostaticè, atque operantis respectu vnionis hypostaticè corporis de facto negati, datis probationibus n. 3. non paucis. Negatiuam verò conclusionem de possibili adhuc multis nec leuibus argumentis propriis ostendimus controuerli. 3. d. 3. q. 2. cert. 3. per totum: quibus nunc otiosè repetendis iure supersedeo. Ceterum cuiusnam durationis vnio sub merita, vel animæ seorsim operantis vel humanitatis pro naturæ priori ad vnionem de facto non venerit; quandoquidem tota sua duratione venire sub merita humanitatis non potuit? Respondeo cum Theologis omnibus esse vnionem instantis primi, vt probant Pauli, & Augustini testimonia data q. 1. & 2. proxime citatis suadetque ratio. Illius enim durationis vnio sine meritis donanda connaturali prouidentia fuit, ad quam nulla merita duratione præcesserunt, non autem durationis illius, quæ merita tempore præsupponit.

6 Dico secundo per opera dignificanda ab vnione in primo instanti meruit Christus vnionis continuationem: siue conseruationem pro sequentibus. Est contra Vasquez d. 18. c. 3. num. 14. §. *Ar quæret aliquis* Granad. tract. 14. d. 2. sect. 2. num. 8. Lugo d. 21. sect. 2. n. 20. Est autem Conclusio Soarij d. 10. lect. 4. §. *hæc responsio*. Ratio ex dictis prona; quia vnio secundi instantis non supponitur ad dignificanda opera humanitatis elicita pro primo, etiam in aduersariorum doctrina: ergo nulla est repugnancia vt opera primi dignificata ab vnione eam promereantur pro secundo & reliquis. Ex alia verò parte Christi humanitati gloriosius est promeruisse & obtinuisse ex meritis, quàm non obtinuisse ex illis: ergo de facto continuationem seu conseruationem vnionis promerita est per opera primi instantis.

Dices: existentia vnionis pro primo instanti eadem est atque eius existentia pro secundo: nec aliud est mereri conseruationem, quam mereri existentiam vnionis pro sequenti duratione: ergo, si dignificat opera pro primo ad seipsam pro secundo, dignificat ad seipsam: quod implicat. Confirmatur: quia tota dignificatio operum ab vnione est, quin duratio antecedens dignificet. Dices idem pro hoc instanti posse esse causam sui ipsius pro sequenti. Contra tamen: quia ignis nunc existens poterit in seipsum agere in instanti sequenti. Contra secundo: quia agens ad influxum, & ad actionem requirit simultaneam existentiam cum

effectu; alioqui ab agente, qui immediatè fuit, & nunc non est, poterit esse effectus, & in illum actio: nimirum modus sine re cuius est modus. Sed, licet hæc contra causationem actiuam per physicum influxum sui ipsorum ex vno instanti in aliud concludant, secus contra principia exactiua, quæ sunt existentiam pro sequenti duratione exigunt in antecedenti, vt de rebus natura sua permanentibus in confesso apud omnes est. Merita autem ex causis exactiuis respectu præmij sunt, non ex fluxiuis, vt patet: quare vnio merita dignificare poterit in hoc instanti ad seipsam obtinendam tanquam præmium in instanti sequenti.

7 Obiicit Lugo titulum esse adæquatum conseruationis in prima vnionis productione: ergo non est conseruata ob merita. Nego consequentiã, vt in titulo æquato vnionis similiter respectu gloriæ corporis, quam ipse cum cæteris Theologis datam nihilominus ob merita fatentur. Obiicit secundo: vnione sanctificatur humanitas per Deitatem, quam illi affert pro instanti secundo: ergo, si ex meritis est vnio in secundo instanti, ex meritis sanctificabitur pro illo contra Dyonis. Alex. Basil. August. & alios negantes Christum propria exercitatione, & labore fuisse sanctificatum, sed sola natura. Nego consequentiam. Quia sanctificatum significat fieri sanctum, quod de primo instanti, non de conseruatione illius intelligitur. Secundo ea admissa non est contra Patres, qui valde extra rem inducuntur: cum solum velint Christum infinitè, & substantialiter sanctum esse à natura Diuina, nec solum sanctitate accidentali, quæ in nobis exercitio & labore paratur sæpe, & semper augetur.

Obiicit difficilior: Christus in primo instanti præfinitus est primo decreto passibilis ex fine nostræ redemptionis consummandæ per mortem: ergo præfinita est duratio & conseruatio vnionis vsque ad mortem seu toto vitæ tempore illo decreto; atqui decretum illud fuit à meritis independens: ergo decretum conseruationis vnionis toto vitæ tempore fuit independens à meritis. Soar. & Recentiores Complutenses, qui finem redemptionis per merita morte consummata obtinendæ efficaciter eo decreto intentum aiunt, confutamus d. de causa final. incarnationis, q. 3. Nos autem, qui cum finem decreto incarnationis efficaciter intentum negamus, eã obiectione minime tangimur.

8 Dico vltimò. Si vnio materiæ & formæ vnita etiam hypostaticè Verbo fuit, Christus reuersionem eius in resurrectione de facto meritis est. Ita Suar. & Granad. vbi proximè; dissensuri tamen videntur Vasquez & Lugo. Primus, quia non minus ad huius, quam ad conseruationem vnionis in vita meritum obest status beatificus Christi. Secundus ne sanctificatus aliquando sit Christus ex operibus. Vtrumque satis confutauimus. Conclusio eadem ratione probatur, quæ præcedens quæ quidem clarior hic est, cum nihil sit, quod eam exigat reuersionem vnionis.

Dices: anima, vtpote pars, exigit natura sua reuerti; distinguo; exigit reuerti ad hanc determinatè materiam, transeat: est suæ vnionis reuersionem ad Verbum non exigit.

Dices secundo Christi vitam, quia Verbi ac suppositi diuini, exigere, vt sit perpetua, vitæque Verbi, quod fieri nequit, nisi tota humanitas, quare & vnio materiæ, & animæ rursus reuertiatur: ergo aliquid fuit, quod eam vnionis reuersionem exigeret. Respondetur vitam humanitatis, dum erat, exigere perpetuitatem ac non mori, nec vnionem materiæ, & formæ deficere, cuiusque vnionem ad Verbum; aut communis salutis commodo vnionem materiæ, & formæ, cuiusque vnionem ad Verbum contra perpetuitatis exigentiam periisse. Tunc autem nil superfluum, quod vnionis reuersionem ad Verbum exposceret præter merita hominis Christi: qui cum in Dei obsequium, bonique publici reparationem appetere,

ret, in hominem Deum restitui obsequiis meritisque tantis exigebat. Et quidem, licet aliquid præterea esset, quod vnionis reuersionem præter merita exposceret, nil veritati conclusionis huius officeret.

## QVÆSTIO II.

*Quidnam Angelis Christus fuerit promeritus?*

**D**E Angelis, siue bonis, siue malis, deque omnibus gratis à Deo in ipsos collatis, questio procedit.

## CERTAMEN I.

*Certa quadam, & circa primam gratiam aliorum iudicia.*

1 **S**Tatuendum primo est Christum Angelis reliquæ dona præter primam gratiam, siue habitalem, siue auxiliantem meritis suis obtinuisse: cuiusmodi sunt illuminationes & gaudium de conuersione peccatorum. De illuminationibus docuit Dyonisius Areopagita 7. de Cœlest. Hierarch. ex quo Theodoret. in id ad Hæbr. 2. *vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.* S. Thom. q. 29. de verit. art. 4. ad 5. omnesque Patres, ac Theologi, item ex illo ad Ephes. 1. *propofuit Deus instaurare omnia in Christo, quæ in cælis; & quæ in terra sunt in ipso:* vbi Anselm. reuocatos Angelos in Christo docet incarnationis reuelatione, & illuminatione: & quidem, cum ex Christi meritis Angeli nobis in custodiam fuerint destinati ex eisdem etiam ad nostri gubernationem, & pedagogiam illuminari citra dubium est. De gaudio etiam ex conuersione & iustificatione peccatorum constat: quia, cum in eo iustificationem ex Christi meritis supponant, non est vnde meritis Christi illud non debeant: idque colligunt ex 1. ad Ephes. Anselm. & Theodoret. & S. Thom. vbi August. cap. 62. & 63. Enchiridij, tum ob charitatem Angelorum erga iustificatos, tum ob suarum sedium reparationem, tum ob reconciliationem cum peccatoribus, quibuscum ante conuersionem & iustificationem inimicitias gerebant. Quo sensu verba data ex 1. ad Colos. interpretantur August. citato cap. 63. & 64. Chrysol. hom. 3. in eam Epistol. Theophilat. Theodoret. Bedareliquique interpretes idcirco Alex. 3. p. q. 12. m. 2. a. 3. §. 5. Durand. in 3. d. 13. q. 2. n. 7. Palud. q. 1. a. 3. ac cæteri Theologi præci ibi S. Thom. 3. p. q. 7. §. 8. §. 9. & cum eo Recentiores hæc dona illuminationis, & gaudij Angelorum de peccatorum conuersione meritis Christi adscribunt.

2 Circa primam Angelorum gratiam refertur error Origenis docentis homil. 1. in leuit. à med. & 2. circa med. atque hom. 9. in Lucam, gratiam, quæ à peccato mundarentur, seu iustificationis, ac remissionis peccatorum per Christi merita, passionem, ac mortem obtinuisse: eo quòd dicat sanguinem Christi, non Hierosolymis solum, sed & in cælis effusum fuisse, ibique fructum spirituale obtinuisse. Hunc fuisse Origenis errorem afferunt Sixtus Senes. 5. Bibliot. annot. 117. Valentia noster cæstandus, Præto Lelencho hæres. verbo *Origenista*, Sandex de visibili Monarch. hæres. 46. Verùm quod ex eis locis refertur non hæresim hanc, sed bonum sensum continet, vel conclusionis primæ, vel Catholicarum sententiarum sequentium. Siquidem ea omnia

omnia spiritualis fructus sunt. Accedit quod citata homil. 2. in Leuit. fructum spiritualem in cœlis ex sanguine Christi obtentum non fuisse remissionis peccatorum expresse docet his verbis. *In cœlis, quidem non pro peccato, sed pro munere oblati sunt; in terris autem (ubi ab Adam usque ad Moysen regnavit peccatum) oblati sunt pro peccato, & hoc est passum esse extra castra Angelorum.* Quæ Jacob vidit Genes. 32. sed enim licet eis loci errorem hunc non docuerit, alibi tamen docuisse constat ex Hieron. in id ad Ephes. 1. & omnia subiecit. & ad cap. 2. qui fecit utraq; unum. ubi docet: *Angelos, & astra Christo subiecta fuisse, quia eius Cruce purgata à peccatis fuerunt: quia coram Deo munda non sunt.* Postea vero apologia ad Rufinum ait: multa se in eius epistola commentariis transcripisse ex origine potius, quam sensisse: inter quæ & hic error plane fuit. Nam t. 1. in Ioann. ad illa verba *in principio erat Verbum* docet Origenes Christi meritum non fuisse tantum pro peccatis hominum, sed aſtorum: id est Angelorum (quibus animariastra putabatur) quæ in conspectu Dei munda non sunt; quæ eadem erant Hieronymi verba.

3 Secunda Catholicorum sententia est: Christum Angelis omnibus primam gratiam fuisse promeritum. Hanc singularitatis tanquam ab authoribus profus destitutam Tertie Sententia Doctores notarunt, sed immerito. Eam enim docuerunt olim Albert. in 3. d. 13. ar. 2. Ruard. ar. 2. & clarius art. 8. Galatin. 3. de arcan. Catholicæ veritatis cap. 4. Ioann. Arboreus 3. Theosophia q. 2. art. 11. Suar. d. 42. sect. 1. Valentia d. 1. q. 9. pun. 3. §. *Nunc quod ad istam tertiam sententiam; ubi communem Theologorum, qui Christum ante præsumptum peccatum præfinitum docent esse affirmat, (& merito, si consequenter Theologizentur) & §. in littera igitur ac q. 7. art. 9. & 11. Viguerius de institutionibus Theologicis cap. 2. §. 1. Catharinus de prædest. Christi & lapsu Angelorum Cornel. à Lapide in 1. ad Ephes. Salmeron t. 13. d. 48. in epist. ad Rom. Jacob. Val. in psalm. 102. versiculo 20. Naclantus ad Ephes. 1. & in medula sacre. Scriptura 3. mundi ætate Meschior Flavius lib. de Christi regno Adam Tamer. 3. p. q. 8. art. 1. & q. 1. 9. art. 4. Grand. controuers. 1. tract. 14. d. 3. à num. 4. est demum expressa sententia S. Th. in id Ioann. 1. de plenitudine eius nos omnes accepimus. ubi sic retractat quod docuerat in 3. d. 13. q. 2. art. 2. quia, inquit, plenitudo gratiæ, quæ est in Christo est causa omnium gratiarum: quæ sunt in omnibus intellectualibus creaturis; & 3. p. q. 7. art. 9. docet: Christo datam esse plenitudinem gratiæ, tanquam vniuersali principio habentium gratiam, ut illam in omnes transmitteret, sicut igni calor; ut huius principio vniuersali. In habentibus autem gratiam Angeli clauduntur respectu quorum & hominum intendit ibi probare esse in Christo plenitudinem gratiæ principiativæ: quod autem art. 11. dicat gratiam datam Christo tanquam vniuersali principio gratificationis in humana natura, non significat esse principium vniuersale faciendi gratiam humanam naturam seu homines ( licet adhuc sic intellectus verbis Angeli paulo ante inclusi non excluderentur, ut bene Caietanus ) sed humanitatem suam, nec solum Deitatem esse subiectum, in quo est gratia vniuersalis principij, gratificandi omnes, siue homines siue Angelos, ut duobus retro articulis dixerat, nam alio sensu non in humana natura, sed pro humana natura vel in se, aut erga humanam naturam dicere deberet, ut bonâ grammaticâ loqueretur. Deinde, cum hoc apposerit S. Th. ut deinceps inde concluderet Christum esse caput hominum & Angelorum, malè limitaret rationem principij vniuersalis gratificationis respectu hominum: cum ex ea limitatione potius inferatur non esse angelorum caput. At in-*

R. P. Christoph. de Ortega, de Deo vno & Trino.

quiunt, negat 3. p. q. art. 6. corp. & ad 1. Christum hominem esse iudicem Angelorum quoad essentialem gloriam: ergo, quia in eis non infudit meritorie gratiam, cui gloria essentialis responderet. Nego consequentiam, nam eam rationem ibi non affert.

4 Aluarez d. 40. negat vniuersam Christum angelis primam gratiam, imò & gratiam promeruisse. Refert pro hac opinione S. Th. & Thomist. Vidimus autem quâ fide. Eundem sectantur Valquez d. 49. cap. 2. S. S. de prædest. Christi sect. 1. Lugo d. 27. sect. 3. num. 25. Vadingo d. 10. dub. 6. §. dico primo Bernal. d. 55. sect. 5. num. 102. communio appellantes atque oppositam pene singularem. Sed ex datis pro opposita Doctoribus constat, Doctores hocce in vtraque sententia fuisse deceptos. Congerunt pro hac sua sententia plura Scripturæ testimonia; sed ad rem hanc nimis leuia, ut certamine sequenti ostendam, plura etiam Patrum non efficaciora. Virgenciora sunt ex Bern. ferm. 4. sanctæ hebdom. dicente. *Passio Domini data est homini quia alteri dari non potuit. Nunquid Angelo? sed ille non indiguit: nunquid Diabolo? sed ille non resurgit; sed non virget.* Loquitur enim de his quibus ex primaria intentione data passio fuit quorumque indigentia fuit expectata, ut daretur: quæ in bonis angelis defuit, in malis subleuata non fuit. Nec virgentius ferm. 22. in canticis air, qui fuit Angelis redemptio secundum diuinitatem illos præseruando factum esse nobis redemptionem cum factus est homo. Quibus similia habent Grego. M. homil. in Ezechiel & Cyrill. 1. ad Reginas. Sed non opponitur præseruationi Angelicæ à Deo, quod ea per Christi merita fecerit: quod, licet non exprimitur ibi, non negatur. Tacetur autem, quia ex primaria Dei intentione homo Christus redemptio præseruatiua Angelorum factus non est. Id autem non tollit ob eius merita fuisse præseruatiue redemptos Angelos sicut nec quod plura sibi homo Christus promeritus fuerit, licet ex primaria intentione ut eas sibi obtineret, non fuerit Verbum incarnatum; reliqua Testimonia leuioris adhuc armaturæ sunt.

5 Quarta demum sententia inter has duas Catholicas media esse posset: Angelis bonis gratiam etiam primam Christum fuisse promeritum, secus demonibus. Ratio satis vero similis est; quia horum culpa gratiæque, ut vitaretur Adæ peccatum naturâ præcessit, quare & Christi ac meritorum eius absolutam existentiam, quæ non nisi posterius natura Adæ peccato fuit: ergo demonum gratia sub ea absoluta merita venire non potuit. Antecedens pars prima, quæ sola nunc probationem desiderat, probatur facile; quia Dæmones iam peccatores malis suggestionibus & colloquiis externis ac sensibilibus, Etiam primum, moxque Adamum in præcepti transgressionem induxerunt, ut ex Scriptura constat, Genesis 3. quare, & Dæmonum culpâ, & suasionibus & Adæ delicto natura præiuit. At vero Angelorum gratia etiam prima, nullatenus ad peccatum Adæ videtur præcessisse: quare, nec ad Christi eiusque meritorum absolutam existentiam: quare ex illis fuisse datam minime repugnat; imò verò Christo gloriosum valde est: ergo erit Christi meritis concedendum.

## CERTAMEN I I.

Angelis primorum Parentum custodibus, ac pauculis eorum tentatoribus Dæmonibus primam gratiam Christus non meruit, at meruit Angelis cunctis essentialem etiam gloriam.

1 Dico primò. Angelis Adæ atque Eux custodibus non meruit Christus primam gratiam. Supponit conclusio Adamum atque Euam habuisse in statu innocentis

E E c e innocentis

innocentia custodes Angelos, quod non adeo exploratum Patribus est. Quia oppositum videtur ratus Missen. De vita Moysi, post init. expressis verbis, quae sic habent. *Versus sermo ad nos usque descendit: quod creditur postquam in peccatum natura nostra prolapsa est, non omnino à clementia neglectam, sed Angelorum aliquem in adminiculum cuique constitutum.* Rationem insuper praeter auctoritatem continent haec verba. Cum enim in statu innocentiae natura tot esset scientiae ac virtutum gratiaeque donis ornata, ut appetitus rationi obediret ad nutum, fomesque non adesset peccati, vel, minimum, adesset ligatus, ut externas Diaboli & obiectorum tentationes vincerentur, satis in primis illis hominibus videbatur interioris esse praesidij: Quare externo Angelorum custodum praesidio non videbantur egere. Verùm. S. Th. i. p. q. 113. a. 4. ad 2. & 2. q. 165. a. 1. Custodes Angelos protoparentibus nostris, etiam in statu innocentiae datos à Deo, videtur docere: consentit Suar. 6. de Angelis, quos sectantur plures, videturque probabilis: quia in praecipiti illius obseruatione, vel transgressione totius humani generis causa agebatur: quare rei magnitudo illud etiam custodis Angeli adminiculum petebat; maximè cum daemone seducendi hominis facta à Deo esset potestas, cuius fraudibus, ac suggestionibus aequè viuendum consiliatorem, atque Pedagogum hominibus illis adiungi oportebat.

2. Hosiigitur posito conclusionem docent Aluarez, Vasquez & reliqui pro tertia sententia citati, docerentque debent, quotquot asserunt Christum non nisi post praesum absolute peccatum fuisse decretum: ut ex ratione conclusionis constabit, quam miror nostrum Vasquez aliumve ex affectu non attigisse. Est autem huiusmodi: Christi, ac meritum eius absoluta existentia fuit posterius naturam absolute peccato Adae, ut probauimus supra: ergo fuit posterius natura bonis suasionibus Angelorum Custodum Euae atque Adami: quae dubio procul eorum transgressionem & peccatum naturam antecesserunt: ergo fuit etiam posterius natura obseruatione praecipiti Angelis illis Custodibus, atque alijs omnibus impositi. Patet: quia, ut Angeli in custodes hominum eligerentur, eorum obseruatio praesum est: ne maleficus & viatoribus, de seque sollicitis Angelis aliorum cura, & gubernatio, mandaretur: ergo, & Christi, & meritum eius existentia. Posterius natura fuit gratia prima Angelorum custodum Adae & Euae quae obseruationem praecipiti Angelici naturam praecessit; ergo nequit prima haec gratia cadere sub absoluta merita Christi, seu remuneranda, quae sola vera merita esse ostendimus, quia principium meriti cadat sub merito, sitque, & meritum, & praemium, & prius, & posterius natura vicissim, ac proinde & eorum quodvis se ipsum implicatorie natura & causalitate praecedat. Quot autem fuerint Angeli primorum Parentum Custodes, ut quot Angelis primam gratiam Christus non promeruerit determinate statuatur, res coniecturalis prorsus est. Illud ea in re videtur certius paucis fuisse, atque, ut reor quatuor, ad summum: foras se solus Michael, qui caelestis exercitus tenet principatum. Nam adeo scientia, gratia, aliisque donis supernaturalibus ornatos homines duos tanti principis cura custodiret satis; Maximè cum solus Lucifer eos instigasse ad malum, & tentasse videatur, ut mox dicam, cum quo manus conferere, & vincere etiam solus Michaelis negotium est. Quod, si primos illos homines non ex animi donibus, sed ex Regia, & Monarchica dignitate meritaris, duos cuique Angelos destinari custodes satis superque fuerit.

3. Dico secundo Daemonibus primorum Parentum tentatoribus, Christus gratiam primam, quam solum habuerunt, promeritus non fuit. Haber, haberetque debet conclusio haec eisdem Patronos, eademque ratione probatur. Nam instigatio primorum parentum

ad malum & transgressionem à Damone praesum, prima natura fuit peccato eorum, quod naturam Christum eiusque merita antecessit; posterior autem natura demonum tentatorum transgressione: quare & posterior gratia prima Daemonibus data ne transgrederebantur, sed obedirent: ergo gratia prima demonum tentatorum Euae & Adae multis retrò natura instantibus merita Christi praecessit, ac proinde sub ea venire nequit. Quot autem daemones primos Parentes tentantes definitum est difficile. Supplicor solum Luciferum fuisse eorum tentatorem, ut proinde totus praenatiuatus princeps habeatur, sed,

Dices: licet progenitores Christi naturam ipsi praecesserint, plurimumque ex illis merita, ut tales esse mererentur, quare & gratia ad ea merita elicienda ad Christum supponatur, tamen illa gratia ex meritis absolutis fuit, ut dicemus, ratione duplicis actionis totalis quibus extitit Christus: ergo, licet gratia prima horum Angelorum, ac demonum natura praecesserit, eadem ratione potuit esse ex meritis Christi absolutis. Nego consequentiam: quia haec ita Christum antecessit, ut antecesserit Adae peccatum, ante quod nullam Christum decretum est, quare nec existens ipse nec eius absoluta merita potuerunt prauideri ut ob illa conferretur. At,

Dices: licet primo gratia auxilio probent in utriusque, aut de gratia habituali, reliquique dotibus in quibus Angeli omnes creati sunt, non probare: cum non sint principia transgressionis, vel obedientiae. Respondet ea omnia praesupposita absolute fuisse ad obedientiam, & transgressionem Angelorum ut obiecta, quae ut conseruarent nec amitterent, ad obedientiam inducebant, ac retrahebant à delicto.

4. Dico: tertio meruit Christus de facto Angelis omnibus essentialem gloriam. Conclusionem hanc tradunt Doctores secundae sententiae, atque ex Doctorum sententiae 3. Bernard. citata sect. 5. §. 3. num. 137. probat: quia licet essentialis Angelorum gloria primo producta fuerit ad exigentiam gratiae, quae non fuit ex meritis Christi appropinque independenter ab illis, aut secundo producta fuerit actione alia totali ex meritis Christi; haec tamen ratio & parum habet consequentiae in huius doctrinam: quia eodem modo primam Angelorum gratiam independenter à meritis Christi primo productam potuisset Deus rursus actione alia totali dependenter ab illis simul produceret: cum ipsius doctrina non inde repugnet, quod Angelorum gratia fuerit ante absolutum Adae peccatum, pro quo signo, nec Christus, nec eius merita potuerit absolute prauidere praecedere: secundo: cum actione prima gloria essentialis ab Angelis habeatur independenter à meritis, materia praemij esse non potest, ut q. 1. docuimus in simili. Ratio ergo solida pro Angelis non Custodibus primorum Parentum est quia eis, ut cert. sequenti ostendam, primam etiam gratiam, quare & praecipiti obseruationem, quatenus à Deo est, Christus meruit. Et quamuis eam non meruisset, ut Custodibus non meruisse docuimus, merita Christi expectata sunt, ut gloria essentialis ipsi daretur: sicut ad plurimum quae iure vnionis Christo debebantur, collationem, merita Christi expectata fuisse docuimus.

### CERTAMEN III.

*Angelis ac demonibus reliquis primam gratiam Christus meruit.*

1. DE Angelis reliquis à custodibus Protoparentum est conclusio Doctorum secundae sententiae, & quae in Patribus momento habet multum, Cyr. Alex. 5. in Isai. ad d. 54. c. *Latere sterilis, ubi sic habet. Omne in iustificacionem spiritualem, tam in Angelis, quam*

in hominibus insitū fuisse per Christū, ergo in bonis Angelis omnis iustificatio fuit per Christum, seu iustitia, qua iusti, sanctique fuerunt, imò & in malis quam habuerunt ante delictum, exceptis solum quorum gratia & iustificatio naturā merita præcessit: & hom. i. in Leuit. Med. non solum pro terrestribus, sed etiam pro celestibus oblatum est bonus Iesus; & infra: Si ergo duo intelliguntur velamina, quæ velut Pontifex ingressus est Iesus, consequenter & sacrificium duplex est intelligendum, per quem, & terrestria saluauit, & celestia. Respondet Vasquez Angelos gratia ornatos saluatōlque per Christum dici, quatenus erat Deus. Sed contra, quia, vt Deus, nec Pontifex est, nec hostia aut sacrificium, nec hæc offert. Respondet Vuadingo loqui de nescio quibus Sacerdotibus, quos in celo esse aiebat, vt locum Pauli explicaret ad Colof. i. nec factū percipiebat. Sed solutio inuria Cyrillo est, quem hallucinari super Pauli loco fatetur, repugnātque textui, qui de Iesu expressè loquitur: qui, vt summus Sacerdos, & Pontifex duplicem templi cortinam, penitissimā eius, id est Sanctā Sanctorum penetrauit. Duplex autem sacrificium oblatum ab eo fuit, quoad effectum scilicet, salutis, & iustificationis celestium & terrestrium, vt ait Cyrillus. Vel si mauis, quia vnica sui in mortem oblatis hostiā hominum redemptionem peregit, inuentā vero suarum virtutum hostiā Angelis meruit iustitiam. Etenim respectu sui, & aliorum non redimendorum propriè à seruitute contractū peccati non opus fuisse, vt merita morte consummarentur, probabile est docetque Lugo.

2. Probatu rursus æque Illustri testimonio Gregorij M. in id. 2. Reg. non est alius extra te, vbi habet: Subauditur sanctus, quia nullus hominum, nec Angelorum, sanctus est nisi per Christum; infra: & quia unigenitus Dei Deus est, extra eum non est aliquis: quia nemo electorum nisi in ipso est, quod sic refertur ad diuinitatem eius, vt nequaquam intellectum humanitatis eauerit. Respondet Vasquez Vuadingo, & alij omnes aduersarij. Primam illam propositionem, quæ de Angelis, & hominibus est, loco inferiori probare diuinitatem vnāquamque; quia Deus est de Angelis: de hominibus verò, quos proximè electorum nomine significat, etiam, quia homo Christus est: qua solum parte meritorie operatur. Sed contra cum Suario, quia electorum nomina, quos omnes, quia Deus est, electos in Christo ait Gregorius, angeli continentur boni: ergo cum hæc eadem electio omnium electorum (in quibus sunt & Angeli) quæ in Christo, quia Deus fuisse asseritur, dicitur etiam in Christo fuisse secundum humanitatem etiam Angelorum electionem, & gratiam, qua electi sunt, primam humanitari, eiusque meritis adscribit Gregorius; fortius verò quam dicitur. Inuit Vasquez obiicit sibi Cyrillum Alex. 9. de ador. ante med. ad id Ioann. de plenitudine eius nos omnes accepimus, in hæc scribere: Christi enim particeps est vniuersa visibilia, atque inuisibilia creatura Angelique & Archangeli, & quæ his superiora sunt, ipsique adeo Cherubin non alia ratione sancti sunt præterquam per solum Christum in Spiritu Sancto. Nisi autem meritorie hæc intelligantur, sed effectiue, & quæ Christus Deus est, pater in sanctificatione creaturarum inuisibilium cuiusmodi sunt Angeli, omittendus non esset. Secundo cum eodem modo sine vlla diuersitate loquatur, hominēque per Christi merita in Spiritu Sancto sint sanctificati, idem etiam de Angelis intelligi sincere est.

At iniquis loca ista de omnibus Angelis sunt; nos autem de custodibus & Angelis malis tentatoribus intelligi volumus: ergo contra nos etiam pugnat. Respondetur iuxta regulam interpretandi scripturæ, & Patres, maxime in propositionibus vniuersalissimis, vt ista sint, locum esse paucorum exceptioni, vbi ratio

Theologica suadet; præsertim, cum hæc in aliis eorundem Patrum testimoniis fundatur, vt in præfati de custodum, & tentatorum exceptione, quia Christum non nisi post præuisum peccatum fuisse decretum, testimoniis eorum etiam Patrum innuitur.

3. Dico secundo dæmonibus reliquis à tentatoribus Adæ & Euz, primam gratiam promeritus Christus est. Hanc in terminis conclusionem nemo docuit, quem viderint, nisi Angelorum nomine dæmones, Doctores secundæ sententiæ comprehendant, pro eo statu, pro quo in gratia creati sunt, antequam propria malitia dæmones fierent. Probatu tamen iisdem Patrum testimoniis, quibus conclusio prima. Nam, & Dæmones in gratia, & iustitia creati sunt, atque gratiæ auxilia, quibus præceptum seruarent, à Deo acceperunt. Ratione vero vtraque conclusio probatur; quia in Angelis, ac Dæmonibus reliquis à custodibus, & tentatoribus primorum Parentum gratia, prima etiam, supposita non fuit pro priori naturæ ad Adæ peccatum: quare nec ad absolutam Christi, ac meritorem eius existentiam: ergo potuit sub ea merita cadere: cum autem id fit adeo Christo gloriosum, ita de facto euenisse fatendum est.

Sed superest difficilis obiectio. Cum enim pro statu viæ Angelorum designatum non fuerit ad deliberandum circa præcepti ipsi impositi obseruantiam vnū solum instans, sed duratio diuisibilis, vt docet probat Suar. 5. de Angel. c. 12. à 11. ex quo Lugo, vbi proxime num. 28. ac Bernal. num. 110. imò fuisse totum integrum diem primum creationis acutè meditatu. Hugo Victorinus: qui primò deliquerunt, vel obseruauerunt ante diem elapsu, reliquos in suas partes trahere conati sunt: boni quidem transgressores monentes vt respicerent; malis verò obseruantes vt deficerent instigantibus. Quocirca, & bonorum constantia, siue in bono perseverantia tentatorum dæmonum Adæ, atque Euz malitiam & peccatum pro priori naturæ supposuit: quare & primam eorum gratiam; malorum autem obstinatio Custodum Angelorum, imò & reliquorum obseruantiam gratiamque proinde primam: atqui tam perseverantia custodum, quàm obstinatio tentatorum supposita prius natura est, vt illi in custodes primorum Parentum deputarentur: hi verò illis tentandis incumbere: ergo iuxta discursu nostrum, omnium Angelorum, ac dæmonum prima gratia ad Adæ peccatum, ac proinde ad Christum, eiusque merita absolute pro priori naturæ præcessit.

4. De desertoribus dicit Thomista locum non fuisse, vt ad bonum ex malo deliberato traherentur: quia natura sua immutabiles sunt à malo deliberato in bonum: cum tamen à bono in malum sint mutabiles. Quanta verò Angelorum naturæ iniuria ea dicantur, vident omnes, cum ea in re deterioris naturæ, ac voluntatis, quàm homines essent: quanto item diuinæ omnipotentia dedecore, cui deesse auxilia, quibus peccator Angelus respicere, atque ad meliorem frugem reuocari queat, fateri necesse est. Quid ergo aliis asserentibus non repugnare voluntatem creatam, cui nullum auxilium efficacit adesse possit, capere obgannunt Thomista? cum id ipsum in tot Angelorum voluntatibus admittant. Sed Maior adhuc est Thomistarum incoherence. Cum enim auxilia efficacit sint prædeterminationes, siue præmotiones physica, positio quouis auxilij efficacit in Angelo desertore, velle nollet, respicere in eorum sententia deberet, ob hæc igitur, & quia difficultatem in Angelis bonis non eua-cuar, abstinendum ea solutione erit: Vt ergo respondeam, aduerto tempus designatum fuisse Angelis ad deliberandum, quo effectum, vt licet vnus diei esset, vbi primum deliberato obediuerunt bonis, status viatorum finierit, meriti que, & demeriti, factaque fuerit transgressio præcepti impossibilis; malis verò vbi primū obsequi deliberato noluerunt, positivè, (nec enim omissione peccauerunt,) vt vltimum temporis instans expectandum

Pestandum esset, sed voluntate contraria conscendendi Coelum atque super astra sedem exaltandi, affectatione nimirum æqualitatis cum Deo, siue secundum se, siue incarnato conditionate præuiso, ) via status cessauit: qui neutris cessasset, si diutius tempore statuto deliberassent, quin obedirent, vel exobedirent. Atque hinc patet cur mali respicere nequierint, licet aliàs natura sua possent. Cur item bonis perseverantia in bono, & gratia prima dubia deinceps non fuerit: imò nec proximè ex meritis Christi, nisi quatenus obedientiæ opus, quatenus à Deo erat, primaque gratia, & quæ in obedientiæ præmium data est, ex eius meritis fuit. Quocirca Lugo & Bernalis huius rei rationes infirmæ profus. Animaduerto secundò, tardiozem, vel promptiorem Angelorum aliquorum præ aliis deliberationem ex maiori, vel minori intellectu & naturæ aliorum præ aliis perfectione prouenisse: sicut in hominibus vsu venit, ut iisdem rationibus auctores citius tangantur, tardiùs hebetiores: ac proinde in deliberando morosiores illis sunt. Tertio animaduerto ex minori hac naturalis & intellectuali perfectione aliorum Angelorum prouenire etiam, ut à perfectioribus illuminentur, doceantur, eisque ab illis possit suaderi; quin contra ipsi perfectioribus suadere quidquam, cõsue docere, atque illuminare, valeant. Hæc omnia breui suppositi ex controuersia de Angelis, ubi fusiùs à nobis fundata sunt: quanquam & de se satis uero similia.

5 Ex his autem patet ad difficultatem nostram solutio. Nam si à Michaële alij plures Angeli custodes Protoparentibus designandi sunt, plurè que Luciferi tentatores adfuerint, ij è prioribus fuerint, qui & citius reliquis propterea deliberarunt, nec priùs in bonum aut malum ab aliis imperfectioribus potuerunt suasionibus agi, postea uero trahi à deliberato. Quare reliquorum culpa, vel obedientia ad eorum, siue obseruationem, siue transgressionem supposita non fuit. De culpa uero malorum, & obedientia bonorum, qui tardiùs præ minori perfectione deliberarunt, negari nequit, quin ad eas, & Michaëlis, & Luciferi, qui priùs deliberarunt, obedientia, & delictum præcesserit: quare, & eorum gratia prima; altero præ Dei & proximorum Charitate; altero præ obstinata superbia Dei proximorumque odio, conantibus in suas partes trahere imperfectiores. Sed tamen id non euincit, quòd imperfectiorum obedientia, atque exobedientia Adæ peccatum pro naturæ priori ante erit, post quod, non autem post Angelorum peccata, Christus præfinitus est: Quare horum peccata, & bonorum obedientia solum poterant pro priori naturæ ad Christum supponi, quatenus ad Custodum, & tentatorum Protoparentum obedientiam, vel transgressionem suasionibus, vel tentationibus supponerentur. Quod minimè factum, imò nec fieri potuisse ostendimus. Sed,

Dices post aliquorum hominum peccata originalia præuisa uenit Christus: at licet ad ea non supponantur Angeli Custodis dati contrahendi consilium & gubernatio, nec demones tentatio; at ad Parentum honestum, vel turpem concubitum supponuntur aliorum Angelorum, ac demonum Parentibus datorum bonæ malæque suasiones, quæ in utrisque supponunt & peccatum & primam gratiam: ergo nec his eam Christus promeruit. Respondeo nullius originale, qui conceptus est, ex merito vel delicto Parentum, suppositum fuisse, ad aduentum Christi, ut suo loco docebam.

Instas: Angeli custodes Pilati, vxorisque eius, Iudæorum, & crucifigentium, eorumque omnium dæmones tentatores pro priori naturæ ad merita Christi morte consummata gratiam receperunt ad peccatum, vel obedientiam, quæ ad ea munera obeunda natura præcessit per nos: ergo, nec hi eam receperunt ex meritis Christi. Friget obiectio in opinione probabili, quam

supra ex Lugo memorauimus, respectu Angelorum, & sui ipsius, merita Christi non debuissent morte consummari, ut præmium obtinerent. Sed esto, ) deberent etiam morte consummari: eadem est difficultas, ac de merito Christi respectu gratiæ crucifigentibus data, eadem solutio diluenda q. vltima.

6 Dices tandem: Christus meruit Angelis primam gratiam, ne caderent: ergo eos redemit æque proprie ac B. Virginem dicitur redemisse: quia ne caderet, siue in culpa, siue in eius debitu, eam præseruauit. Consequens autem est contra Augustinum cap. 61. Enchiridij & contra Theologos omnes: ergo & antecedens. Sed nescio an adeò abrida sit locutio. Absurditas quippe eius non stat in eo, quòd ex meritis Christi Angeli sint dicitur redempti præseruatiuè, sed quòd sint præseruatiuè redempti siue id ex meritis Christi, siue non ex meritis ipsius: ut ex ratione subiicienda, quæ Aug. & Theologi nituntur, constabit. Quòd redempti eam præseruatione absolute dici possent, uideat Bernardus uerbis datis cert. 1. num. 4. post medium ex serm. 22. in Cant. qui fuit *Angelis redemptio secundum diuinitatem illos præseruando*, &c. licet respectu hominum nonnisi ex destinatione ad peccatum aliquis redemptio fuerit; Sed ne hic hæreamus, nego consequentiam. Etenim redemptio ubi ait Augustinus epist. 157. ex Zosimo Papa iterata emptio est, quare redemptio à peccato necessariò supponit redemptum præcessisse: aliquid tamen mancipatum peccato, itaque aliqualiter seruitem peccati passum illum esse, priusquam redimeretur: quia ergo B. Virgo mancipata erat debito peccati Originalis, imò & seruitem peccati sub conditione, quòd non eligeretur in matrem Dei, debitumque primo ac deinde seruitem peccati imminet, cum ex meritis Christi electa in matrem Dei fuit, propriè fuit redempta. At Angeli pro priori naturæ ad obseruationem mancipati peccato non erant: cum in eorum uoluntate esset uel transgredi, uel obedire: quare licet gratiæ præuenirentur ex meritis Christi, ne peccarent, ac proinde à peccato præseruarentur, non tamen redimebantur.

Instas: sub conditione negationis auxilij efficacis peccarent: sicut B. Virgo sub negatione electionis in matrem, contraheret debitum, & originale: ergo æque atque illa destinati peccato erant. Nego consequentiam. Nec enim quidquid sub conditione aliqui futurum est, ex iure aliquo futurum est, sed sape ex libertate, & arbitrio: ut in presenti, quòd secus euocant in debito & originali Diuipare.

7 Opponit Vasq. pro solis hominibus mortuum fuisse Christum ex communi Patrum, & Theologorum: ergo nil meruit Angelis. Nego consequentiam. Nam merita pro Angelis non oportuit morte consummari sicut, nec, ut sibi mereretur. Secundo oportuerit pro solis hominibus ex primaria intentione mortuus dicitur, non absolute, cum sibi etiam morte consummauerit merita. At instas à merito Christi exclusos Angelos in parabola Christi de oue quæsira relictis 59. in deserto id est omnibus Angelorum horis in coelo, iuxta Ambr. 7. in Lucam c. de oue centesima Greg. M. hom. 34. in Euang. Beda in cap. 15. Lucæ ad ea uerba *quis ex uobis homo*, Anselm. in id Math. 18. *quid uobis uidetur*, Theophyl. utrobique, ubi ouem unam, quam, ut errantem reduceret illas reliquit, naturam humanam lapsum interpretantur: Caterum cum in Vasquez sententia plura Angelis sit promeritus Christus, uel intelligenda parabola de assumptione naturæ humane præ Angelica: uel de primaria intentione, & sine incarnationis & aduentus sui: quòd est textui conformius. Obmurmurantibus enim pharisæis quod familiarius cum peccatoribus, & Publicanis, quam cum ipsis, in sua assumptione iustus, ageret Christus, parabola illa respondit, ac sententiam adhibuit: *non est opus ualentibus medico, sed male habentibus* concluditque: *non ueni uocare iustos,*

sed peccatorum. Licet autem ea aduentus sui primaria fuerit intentio, & finis, non inde inferitur, quod Angelis, sicut & iustis iam hominibus nil fuerit promeritus, ut patet.

Denique opponit Vasquez Paul. ad Heb. 2. ubi sic probat decessisse Deum ut Christus passione, & arumnis, nec solum carne nostri similis factus nos sanctificaret, qui sanctificat, & qui sanctificatur ex uno, Adam, omnes, ut Claudius Guisialis, Adamus, & Caietanus, imò & sequentia verba probant. Propter quam causam non confunditur, Christus, sanctificans fratres eos, sanctificatos, vocare dicens nuncia- bo nomen tuum fratribus meis: & iterum: ecce ergo, & pueri mei, quos dedi mihi Deus: quia ergo pueri communicauerunt carni, & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem. Ex quibus sic arguitur primò. Omnes sanctificati per Christum sanctifican- tem debent esse ex uno, Adamo, sicut & ipse. Item sunt pueri, & fratres Christi, quorum carni, & san- guini etiam, quoad passiones, & arumnas ipse com- municauit; utrumque autem Angelis defuit: ergo non sunt sanctificati per Christum sanctificantem. Respondet Soar, ex quo reliqui, Paulum loqui de sanctificatis peccato contra- do (sive immineret ali- qualiter ne Virgo excludatur) id est sanctificati per sanctificationem remissionem peccati, seu iuris aliquis ad illud: quomodo Angeli per primam gratiam sancti non sunt, cum antea non peccassent. Sed instat Vasquez in eo, & præcedenti capite Apostolum, ex- cellentiam Christi, respectu Angelorum etiam, ex- pendisse: quare hanc excellentiam sanctificandi eos, sequaquam omittendum, si fuissent per ipsum sanctifi- cati. Verum cum hoc. c. teste Vasquez ipso, inten- derit Apostolus ignominiosum Deo & Christo non fuisse, sed gloriosum per passionem homines, quos præcipue intendit, redimere, ut initio Capituli propo- suit: non non erat cur de Angelorum sanctificatione per Christum ageret: Vnde suum hoc argumentum confirmare non poterat.

QVÆSTIO III.

Quid Adamo, reliquisque hominibus Christus fuit promeritus?

**N**on est quæstio de Adamo ante lapsum. Etenim cum ante eius lapsum Christus absolute non extiterit, sed posterius natura illo, primam eius gratiam, cæteraque status innocentie dona, non magis potuit Adamo promereri, quam eius custodi- bus Angelis demonibusque tentatoribus dicebamus q. 2. cert. 2. Sed nec est quæstio de omnibus singularim gratiis, quas Adamo post lapsum, cæterisque ho- minibus promeritus Christus est, id etenim minutim disputantes iusto amplius volumine expleremus; vni- uersaliter ergo hoc inquirimus an omnem gratiam, quoquomodo ad salutem vitamque æternam con- ducentem eis fuerit Christus promeritus.

CERTAMEN I.

Omni lapsi Adamo hominumque gratiam saluti æterna quoquomodo proficiam Christi meritis deberi, fides Catholica est.

**F**ranciscus Sompnus. 2. demonstrat. Religion. Christianæ tract. 3. c. 19. docuit Christi merita non nisi fidelibus iustificatis applicari: id quod in sen-

tu benigniori omnia dona gratiæ, quæ nobis ante iusti- ficationem conferuntur, eamque præcedunt ex meritis Christi esse aperte negat. Docuerunt id ipsum Capreo- lus in 3. d. 28. q. vn. a. 3. ad argumentum Scoti contra quartam conclusionem Sonzin. ibi conclu. 3. Driedo de captiuitate, & redempt. generis humani tract. 2. c. 2. p. 3. ar. 4. ar. 4. ad 1. obiectionem tract. 4. c. 2. p. 8. m. 3. Adamus ad vltima verba ad Philip. cat. ad illa 2 Petri. 1. iniustitia Dei & ad Rom. 3. ubi est gloria tua? Duos autem doctores hos in hanc sententiam impulere primum: quod applicatione meritorum Christi pec- cata nobis remitti censeant, non, quia nos formaliter iustificent, sintque iustitia formalis nostra, sed, quia nobis quoad efficaciam applicata gratiam iustifican- tem, & peccatorum remissionem inducunt. Quare pro nullo priori applicari nobis possunt quin statim iustificent. Secundum, ut ostendant, quare merita Christi æque omnibus ad peccatorum remissionem non applicentur, nec æque omnes illum fructum reci- piant. Quia nimirum ex gratia pura Dei priori ne- cessario ad iustificationem, seu, quod idem est, ad ap- plicationem meritorum Christi, non æque disponun- tur, quocirca diuersum valde hoc est ab eo errore, alias confutando, qui docet nos ex viribus naturæ ad Dei gratiam & iustificationem, siue postiuè, siue negatiuè disponi. Admittit enim nos ex gratia Dei naturæ profusus indebita ad iustificationem, siue applicationem meritorum Christi disponi. Solamque negat eam gratiam ex meritis Christi nobis à Deo donari, ut disponamur.

**2** Catholica tamen veritas est, non solum no- stram iustificationem & salutem, sed remotissimas quas- que dispositiones ad ipsam proficiam Christi meritis deberi. Ita docet S. Th. 3. p. q. 7. a. q. 10. 11. & tota q. 8 ubi Christum vniuersale principium totius nostræ gratiæ asseruit & ar. 3. ad 2. fidem etiam mortuam à Christi influxu docet provenire, sequuntur Præ- ceptorem Recentiores Thomista & antiqui duobus nuper citatis exceptis. Idem insinuat Scotus in 3. d. 19. q. vn. cum quo Scotista. Clarius docet S. Bonau. d. 19. ar. 1. q. 2. asserens omnia, quæ nobis non debebantur Christum Dominum nobis meruisse, Fufius adhuc Vega toto libro. 4. super Trid. & lib. 15. c. 9. ac 10. Hosius in confess. fidei c. 41. & 43. Lindanus. 3. Panoplia. c. 36. Vasquez d. 77. c. 2. Soar. d. 41. sec. 2. Gran. tract. 4. d. 5. num. 2. Vuadingo d. 10. dub. 7. Bernal. 55. sect. 4. 5. 2. Et quidem de gratia habituali, siue formali sanctitate nos iustificante, ac remittente peccata præsertim mortalia, nec Doctores primæ sententiæ, nec vllus Catholicus, imò, nec Pelagius ipse negat. Est quippe sæpius expressum à Paulo ad Rom. 5. sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum, multo magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit, ac infra, ita, & per vnius obediendum iusti constituntur multi; Ad Col. 2. vos cum mortui essetis & que ad expoliens principatus Ad Ephes. 1. num. 7. In quo, Christo, habemus redemptionem, per sanguinem ipsius remissionem pec- catorum secundum diuitias gratiæ eius. Repetit Ad Col. 1. ac. 1. ad Thim. 2. totisq. terè epistolis citatis ad Rom. 3. iustificati gratis per gratiam ipsius per redem- ptionem, qua est in Christo Iesu: ad Heb. 9. semel obla- tus est ad multorum exhaurienda peccata. 1. Ioann. 2. ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi: Quoad meriti sufficientiam, & superabundantiam Apocal. 1. dicitur, lauissse nos à peccatis nostris in sanguine suo: & quoad efficaciam de Sanctis etiam lauissse, & de- albasse stolas suas in sanguine agni. Definita insuper hæc veritas est Concilii omnibus, Mileuitano, Arau- sicano 1. Trid. sess. 6. c. 7.

**3** Insuper de gratiæ augmento ex meritis Christi

esse definitur in Trid. c. 16. traditurque à Paulo ad Ephes. 4. *veritatem facientes in charitate crescatis in illo per omnia qui est caput Christus*, ubi de alijs donis, & gratis datis, quas vocamus, ait *unicuique nostrum vita est gratia secundum mensuram plenitudinis Christi*. Et inferius eas gratias enumerans ait: *ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas &c.* Ad quæ eleganter Hieronymus Sciamus illas esse manibus hominibus distribuas, quas videtur Christus emeruit: Demum meruisse omnibus gratiam quoad sufficientiam, consequentibus autem quoad efficaciam, docuit etiam Paulus ad Rom. 5. dicens: *Per quem Iesum Christum habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei*. Et infra: *in vita regnabimus per unum Iesum Christum*. inferius: *ita & gratia regnet per iustitiam eternam per Iesum Christum*; Rursus: *factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ*, & c. 6. ait vitam eternam esse gratiam in Christo Iesu, c. 8. rationem reddit, quod gratia, quam nobis Christus promeruit, filios nos constituit, iusque dat nobis ad gloriam paternam scilicet hereditatem his verbis: *si filij, & heredes, heredes quidem Dei*. ad Tit. 3. *iustificati gratia ipsius heredes sumus secundum spem vitæ æternæ*. Ratio Theologica est: quia in Christo meritum infinitum est, quod ne æquatur quidem, nedum excedatur, ab omnibus gratis, & gloriis cunctis hominibus datis dandisque, ergo etiam ea omnia possunt esse horum meritorum præmium; ergo & de facto fuerunt: cum id Christo Domino sit gloriosius, Deumque valde decens.

4 Sed, quia nunc si *regula persequi, nec possumus nec debemus, probatur vniuersim cõclusio de omni gratia, siue intrinseca, siue extrinseca, quouis modo, proxime, vel remotè ad iustificationem, vitamque eternam proficua*, ex 1. ad Ephes. *Benedixit nos Deus omni benedictione in caelestibus in Christo in quo sorte (id est non ex nostris meritis, ait Augustinus de dono perseu.) vocati sumus*. Ad quæ Ambrosius. *Omne donum gratiæ Dei in Christo est & si quis spreto Christo benedicti se à Deo putat, errasse se sciat*. 2. ad Thim. 1. *vocauit nos vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu*. ubi egregiè Apst. Ad Ephes. 2. *creari nos in operibus bonis in Christo Iesu dicitur*. Vbi ad rem nostram luculenter Chrysoltonus cap. 4. *unicuique nostrum datur gratia secundum mensuram donationis Christi*. Ad Philipp. 5. *gratia, & veritas per Iesum Christum facta est*. Ad quæ Chrylost. Christum gratiarum omnium fontem appellat. Demum cap. 2. *vobis donatum est pro Christo non sciam ut in eum credatis, sed, ut etiam pro illo patiamini*, quod ad rem hanc inducunt, & explicant Petrus Diacon. de incarnat. & gratia Christi c. 6. Anselm. & August. tract. 3. in Ioann. c. 2. de prædest. sanct. Theophyl. ad eum locum Prosper, & Araufican. 2. can. 25. sed loco præpositionis pro Christo, legunt à Christo: quia in Græco est præpositio *ὅτι* quæ sæpe loco præpositionis *pro*, id est, à ponitur. Sed melius ad intentum pro retinebitur, maiori quippè emphasi, & claritate ostenditur nobis hæc ex meritis Christi donari, cum nos pro eo recipere à Deo, eumque nobis pro illo donare dicitur. Sic cum aliquis præmium recipit titulo meritorum alterius, v.g. Patris, qui in eo præmiatur, siue illius loco, siue pro illo recipere dicitur; scio Chrylost. hom. 4. in eam Epistolam aliter eum locum, nec incongruè interpretari; aliter etiam, nec adeo congruè Ambrosius, & Hieronymus: communior tamen Patrum expositio est, quam ad rem hanc dedi-

mus: nostraque hæc explicacione illius præpositionis pro ex adeo vulgari phrasi clarior deinceps, planior fors & plenior erit.

5 Definita hæc veritas est ab Arauficano proxime, & Canonibus 5. 6. 7. 19. 22. & 24. à Mileuitano can. 7. ab Innocentio 1. in rescripto ad idem Concil. quæ est Epist. 26. eiusdem & 93. inter Augustini Epistolas à Celestino 1. Epist. 1. ad Episcop. Galliar. c. 16. licet autem gratiam iustificationis eam appellent non solum iustitiam formalem, sed potiùs quæcumque ad iustificationem, quouis modo, conducunt, planè intelligi contra Pelagium, & Semipelagianos, qui principia iustificationis remora esse ex gratia per Christum negabant, doctè ac fuse probat Vaquez 1. 2. 2. d. 189. c. 1. item Mileuitanum Can. 4. de omni bono opere, quod ad iustificationem, & vitam eternam conducit, nec solum de iustificatione formalis; ita scribit, *non per Christum adiuari non solum, ut sciamus quid agere debeamus, sed etiam, ut illud opere exequamur*. Patres item eius Concilij Epist. ad Innocentium quæ est 95. inter Epist. Augustini subdolum Pelagij gratiam doni creationis ad obseruationem præceptorum & tentationes vincendas exsecratur: ac gratiam per Christum esse debere clamant his verbis: *ne per legem iustitia, nec per naturæ possibilitatem sit ex fide & dono Dei per Iesum Christum*. August. Epist. 103. *non omnino istam gratiam commendat Apostolus, quæ creati sumus, sed, quæ iustificati sumus: ista est enim gratia, per Iesum Christum*. Ac sapiùs infra, & tract. 3. in Ioann. etiam de fide quæ iustificationem antecedit loquatur, tamen de omni bono opere, per quod ad fidem disponamur, loquitur etiam contra Pelagium. Prosper ad excerpta Genuesium respons. ad tria priora dubia habet omnem facultatem cogitandi, quæ ad Deum pertinent & credendi, in primo Patrem nos amisisse, atque per Christum recuperasse. ad capitula Gallor. respons. ad 8. ait: *gratiam Christi ad singulos actus nobis donari, non solum, ut cognoscamus quid agere debeamus, sed etiam, ut illud faciamus*. Ambros. 5. de fide c. 6. de fide veri. fin. ad id Ioann. 24. nemo venit ad Patrem nisi per me: addit: *cum in eum sum, Christi sum: cum peruenero Patris sum, sed ubique per Christum*. Petrus Diacon. de incarnat. one, & gratia Christi ad Fulgent. c. 6. à quo de gratia Christi disputat, sic scribit: *ut ergo falsa libertas nostra fieret Christiana libertas, eadem libertas libertate Christo indiget, quæ posset per eum gratiam ab occupationibus humanis auersa, ea cogitare & desiderare quæ pertinent ad vitam eternam. Sine hac igitur gratia, potest cogitare & desiderare humana, non autem potest cogitare aut velle, seu desiderare diuina*.

Ostendit deinceps fidem esse ex gratia Christi. Rescripsit Fulgentius lib. de eodem argumento, c. 12. init. Sic humano generi gratiamque gratiam diuinam bonitas conulit, per quam in hominibus non solum Propaginis obligatione contracta deleverit omnis iniquitas; quam etiam cogitationis sancta amisit pridem in homine primo per hominem secundum recipere facultas. Similia habet Bernardus de gratia, & lib. arbitrio circa medium, & serm. 12. de incarn. Origo fontium, & scientiarum dominus Iesus Christus. Post pauca: *quidquid virtutum quidquid sapientia habere confidit Dei virtutis, & Dei sapientia, reputa Christo*. Denique Trid. sess. 6. c. 5. *declaratur præterea ipsius iustificationis exordium, in adultis à Deo per Christum Iesum præueniente gratia sumendum esse hoc est, ab eius vocatione, quæ multis eorum existimibus meritis vocatur*. Loquuntur autem Paulus, Con-

cilia, & Patres de Christo, non qua gratiam efficit, sed qua illam nobis meretur, ut homo.

CERTAMEN II.

*Eiusdem veritatis Rationes Theologica, & obiectio-  
num solutiones.*

**R**atio Theologica pressa à Bern. Fulgentio, & Prospero proximè esto. Christus ea nobis cuncta meruit, quæ sibi & nobis perdidit Adamus, ut hi Patres aiebant ac Christus Math. 18. & Luca 19. *venit enim filius hominis querere & saluum facere quod perierat.* & Paulus ad Rom. 5. Atqui Adamus sibi, ac nobis perdidit, non solum iustitiam formalem, sed quidquid quouis modo ad illam, atque æternam salutem conducit: ergo id totum nobis meruit Christus Minor suadetur ex Patribus datis, qui nos per Adæ peccatum fide, omnique sancta cogitatione ad bene operandum atque vitæ æternæ conducenter priuatos ac desitutos nuper asserebant; tum quia certum est nos per Originale, quod ex illo contraximus, omni gratia, aut dono supernaturali, siue quoad substantiam, siue quoad modum ad Dei gratiam æternamque salutem conducente dignè expoliatis fuisse, ut pote Dei inimicos, atque iræ filios; imo verò cum gratia ac cætera dona nostro capiti Adamo data fuerint, in nos transfundenda si obediret, ipsi verò, & nobis auferenda, si delinqueret: eis omnibus dignè priuaretur ob eius solam transgressionem, quin nostrorum Originalium ratio haberetur: ut docent Patres iam citandi. Confirmatur, quia ideo tum perdidit peccato suo nobis Adamus quod sibi: perdidit autem sibi non solum iustitiam formalem, sed reliqua dona supernaturalia & fidem suâ præuacuatione, ut docent S. Ign. M. epist. ad Trallianos, Epiph. hæres. 38. & 40. sub fin. & Ecumen. Haymon. S. Th. & glossa in id. 1. Corinth. 2. & *Adam non est seductus, mulier autem seducta est,* ad quem etiam locum Ambros. Theoph. & Chryl. hom. 8. Hieron. contra Iouinianum, licet Deo de morte obeunda si comederet non credidisse, siue (ut sic loquar) discredidisse à dæmone seductum immediate Adamum, iuxta quatuor primos, vel mediatè per mulierem sentiant hi omnes: ac proinde eo etiam titulo fidem sibi perdidisse.

**2** Alia ratio Theologica sit, quam sæpe contra Pelagianum, & asseclas instruxit Augustinus. Nam, si iustificatio formalis non sit ex gratia Dei ob merita Christi, sed ob meritum fidei, vel operis tandem alterius honesti, ex auxilio vel motu aliquo debito naturæ elicitu, iustificatio, salus, ac vita æterna nostra non erit ex gratia Dei per Christum contra Paulum, & Scripturas expressè docentes oppositum. Patet assumptum. Nam merito illius boni operis debetur fides: fidei autem merito debetur eadem proportione iustificatio formalis: iustificationi formali, seu, quod idem est, gratiæ habituali, gloria & vita æterna: ergo nisi ad illud opus honestum auxilium gratiæ ex meritis Christi necessariò præcedat nec formalis iustificatio, nec vita æterna erunt gratia ex meritis Christi. Quare, nisi, quæ remorisimè etiam, ad iustificationem vitæque æternam conducent, meritis Christi debeamus, omnis gratia per Christum in nobis euacuatur: quod si non deberi fidem de condigno honesto cuius operi, nec fidei iustificationem asseras, adhuc vim argumenti non eneruas. Nam quouis respectu ad meritum quoduis nostrum remuneratum nequit esse voluntas Dei respectu nostri liberalis, & gratuita, ut ad rationem gratiæ, & beneficij nobis collati esse oportebat. Tertia ratio Theologica sit. Quia id totum meruit nobis Christus, quod per ipsum à Deo postulamus; atqui postulamus à Deo per Christum ea omnia,

*R. P. Christoph. de Ortega, de Deo vno & Trino*

quia, quæ in conclusione nostra proposuimus: ergo ea omnia meruit Christus.

Dices: naturalia plura à Deo postulamus per Christum, ut salutem, serenitatem, pluuiam, quæ dubio procul Christus nobis non meruit: ergo falsum affuitur in maiori. Respondetur facillè, ea omnia peti à nobis, & Ecclesia solum per Christum, adeoque ob eius merita donari, quatenus ad vitam æternam conducunt, ut ex Ecclesiæ orationibus constat.

Quarta demùm Theologica ratio est, quia hæc omnia sunt apta materia præmij meritorum Christi, nec illorum valorem excedentia: ergo ex meritis Christi nobis donantur. Aduerte tamen nos hic definire nolle auxilia, & iuuamina quouis ad quoduis bonum opus morale esse naturæ indebita, ac gratiam per Christum conducentem de se ad vitam æternam; eius enim definitio alterius est loci; sed ex suppositione quòd conducant iuxta satis probabilè probatamque sententiam sub merita Christi venire debere.

**3** Obiecties. In Dei voluntatem refunditur, quòd gratia nobis à Deo præparetur, atque accedamus ad Christum, ut constat ex 1. ad Ephes. ad Rom. 8. & sine epist. ad Hæbr. & Ioann. 6. Respondetur ibi non negari illam Dei voluntatem habere pro motiuo merita Christi, licet non dicatur: sicut nec dicitur finis quem ea voluntas habet: Locis autem à nobis datis dicuntur merita Christi esse eius voluntatis Dei motiuum.

Instas primò. Gratiæ quæuis pugnat cum merito & voluntate remuneratoria: Ergo gratia Dei nobis collata pugnat cum merito Christi, & voluntate ea remunerandi, cum nobis confertur. Distinguo antecedens: cum merito, & voluntate remuneratoria illius cui gratia sit concedo antecedens; cum merito, & voluntate remuneratoria alterius, subdistinguo, ad cuius meritum gratia remuneratoris supponatur, Nego eam antecedentis partem: ad cuius meritum non supponatur gratia remuneratoris, concedo; & nego consequentiam: quia ad merita Christi supponitur, & gratia vnionis facta humanitati à Deo pro instanti primo, & primum auxilium, ut q. 1. docebamur, altera, ut dignificet opera: altera, ut opus eliciatur. Respondeo secundo, gratiam per Christum ea omnia dari, sed non ita esse omnino ac purè absolutèque gratiam, ut merita excludat prorsus, sed nostra solum, non Christi, cum per Christum dicatur.

Instas secundo ex Aug. 5. de prædest. sanct. aiente: *homo quisque eam gratiam sit Christianus quia homo ille ab initio factus est Christus,* atqui factus est homo ille Christus gratiæ excludente merita alterius; ergo & nos Christiani ac fideles sumus gratia excludente etiam merita alterius; scilicet merita etiam Christi: Respondeo primo cum Vafq. comparationem, & similitudinem non debere tenere in omnibus; sed in eo, quod hic factus sit Christus homo ille independentè à meritis suis, sicut & nos Christiani independentè à meritis nostris. Secundo, & fortasse ex penitiori Augustini mente, velle Augustinum in ipsa gratia vnionis, qua factus est homo ille Christus, negotium nostrum agi, ut nos fieremus Christiani: quia sebat is per illam, per cuius merita faciendi eramus Christiani; alioqui, non illa gratia, qua factus est Christus, Christiani facti dicemur, sed simili: sic, cum aliquis Tyrannus rebellis prosteritur bello, dicitur legitimus Rex & naturalis Rex factus pro pralio, quia sine eo, quod in illo peractum est Rex esse non poterat; cuius rei exemplum ad est inter alia aptissimum 2. Reg. 19. num. 22. cum mortuo Absalone rebelle, eiusque exercitu superato, dixit Dauid, *an ignoro hodie me factum esse Regem super Israël.*

**4** Instabis tertio. Iustus suis operibus de facto meretur gratiam, eius augmentum & gloriam, remissionem venialis ac temporalis poenæ: ergo omnia iustus Christus non meruit. Nego consequentiam: quia ad illa omnia efficacia auxilia illis est præmeritis, ratione quo-

FFF

rum ea omnia etiam illis promeritus est, nobilius vti-  
litate & sibi, & nobis, quam si aliter mereretur.  
Etenim nobis vtilius, nobilitate est ea omnia habe-  
re, nostram etiam industriam partem quaesitamque, quam  
sine illa; quare & Christo gloriosius fuit, sic amicorum  
commoda suis meritis parare, ut eorum laudem  
non excluderet. Nec dubito, ea quae actionem Dei di-  
uersam praeter nostra opera expectant, ut a Deo donentur,  
donari etiam immediate ob Christi merita simul atque ob  
merita nostra. Cum enim Deus plura duplici titulo de se  
ad aequato, donare possit, ut videmus, sitque hic modus  
praemiandi merita nostra simul eum meritis Christi in  
nobis praemiati Christo gloriosior, non est, cur ita fieri  
negetur; iam vero, quae Doctores sententiae nostrae  
conclusioni aduersa per inuiam erroneamque illam viam  
agebant, inania profusa erant; constat enim ad primum  
ad plura alia, quae iustificatio formalis non est, sed  
illam praecedunt merita Christi hominibus a Deo in  
executione ac de facto, applicari: quare applicationem  
omnem meritorum Christi non esse formaliter, nec  
inductione necessaria, iustificatiuam. Secundum ad rem  
praesentem caree difficultate. Nam applicatio meritorum  
Christi quoad efficaciam in adultis, quoad primam gratiam  
fit ex libera Dei voluntate ex ipsis meritis Christi: quae  
licet Deum non cogant, ita de facto mouent sicut non  
daretur adultis ea prima gratia, si merita Christi  
desiderent: ea autem postea adulti iam se ad fidem, &  
iustificationem disponere valent, atque meritorum  
Christi pro suo arbitrio & vsu libero, gratia magis ac  
magis applicare. In infantibus vero Baptizatis iustificatis,  
ex meritis Christi eadem ratione philosophandum  
est: ac de prima adultorum vocatione. An vero  
Christus specialiter merita sua applicarit pro eis, qui  
vocantur de facto ad fidem, iustificantur, & glorifican-  
tur, huius loci non est, sed quaestionis sequentis, &  
controuersiae de praedestinatione: vbi causa praedesti-  
nationis ut est vnius praeter alio electio, solerter &  
inquirimus, & examinamus.

Tandem inquires: Si merita Christi deessent, daretur  
vocatio & auxilium: ergo non dantur ob merita  
Christi. Antecedens admittit Vega in Trid. c. 7. Valquez  
solum quoad auxilia sufficientia ex vi praesentis decreti.  
Ego quoad gratiam omnem nego. An vero ex alio  
decreto darentur, diuinitatis negotium est, cum ex  
mero Dei arbitrio pendeat: grauiores difficultates ex  
antiquis Patribus, & Progenitoribus Christi diluam  
in sequentibus.

#### QVÆSTIO IV.

*Quo pacto Christus antecessoribus duratione  
hominibus gratiam fuerit  
promeritus?*

**D**EST summa in materia hac difficultati  
difficultas affinis, quae vulgo de merito  
Christi absoluto respectu antiquorum Patrum  
inscribitur; vbi Patrum nemine, non Christi  
progenitores, in quibus maior est difficultas  
componenda, sed ipsum temporarie solum  
antecedentes homines intelliguntur.

#### CERTAMEN I.

*Difficultatum hac in re leuiorum propositio ac enodatio.*

**G**ratiam omnem antecessorum tempore  
hominum meritis absolutis subsecuti Christi  
deberi,

certum ex conclusione quaestionis praecedentis est  
suisque suadet ex 3. ad Rom. vbi habetur: *quoniam  
Christum, proposuit Deum propitiationem per fidem  
in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiae suae propter  
remissionem praecedentium delictorum in sustentatione,  
tolerantia Dei:* Ad Ephes. 1. *in dispensatione plenitudinis  
temporis instaurare omnia in Christo omnium  
autem nomine etiam antea continentur. Imo de  
eis proprius dicitur instauratio Apocal. 13. Agnus  
suis ab origine mundi, dicitur Christus ob meritum  
influxum mortis Christi occisi in antecedentium  
hominum gratiam, ut Patres omnes commentantur. Eandem  
veritatem tradunt Patres omnes, qui Christum  
non nisi in antea peccati Adae, & reliquorum  
hominum Remedium venturum esse supponentes. Ad-  
mum & reliquos a mundi exordio homines ex  
meritis Christi a peccatis fuisse liberatos aiunt. Sic etiam  
docent Hieronymum, in 4. ad Gal. init. M. Gregor. hom.  
17. in Ezechiel. ad id *Osanna filio Dauid.* Adde Aug.  
Epist. 120. & cum eo Patres reliquos, afferentes veteris  
testamenti Sanctos ad nouum pertinuisse, non  
ratione legis, & sacrificiorum, ac rituum, sed gratia,  
quae illis ex Christo noui Testamenti auctore data est,  
ut bene Valquez l. 2. d. 183. Accedit idem August. Epist.  
49. ad secundam quaestionem, ac sapient. & 1. de peccato,  
meritis, ac remissione, cap. 11. vbi scribit  
*Regnum mortis sola in quolibet homine deservit gratia  
saluatoris, quae operata est in antiquis Sanctis: con-  
cumque antequam in carne Christus veniret, ad eum  
tamen adiuuantem gratiam, non ad legem liberam,  
quae iubere tantum, non adiuuare poterat, pertinebant.*  
Definitur tandem in Trid. sess. 6. decreto de peccato  
originali, cuius remedium in solo Christo dicitur  
essetisse, & c. 2. venisse Christum ad redimendos eos  
etiam omnes qui sub lege & Gentilismo erant, nec  
de hac veritate, ex haereticis adhuc vilius dubi-  
tauit.*

2. Inde tamen, prima emergit difficultas in hunc  
modum. Antiquis remissa sunt ex meritis Christi  
peccata gratiaque donata: ergo prius tempore quam  
Christus veniret, deus eiecitque mundo Diabolus  
est: hoc autem est falsum: quia ante Christi non  
solum aduentum, sed mortem deus Diabolus, mun-  
doque eiecit non fuit; Etenim Ioann. 12. aiebat  
Christus. *Nunc princeps huius mundi eiecitur foras.* [cum  
moriatur.] Et 2. ad Coloss. de Christo in cruce obente  
dicitur *delens, quod aduersus nos erat Chirographum  
decreti quod erat contrarium nobis, ipsum vultu de medio,  
affigens illud cruci, & expolians principatus, & po-  
restates traduxit confidenter, palam triumphans in se-  
metipso; siue autem Chirographum decreti sit de  
mortalitate temporali, & aeterna animae in transgres-  
sionis poenam decreta, siue obligatio obseruandi legem  
Moyse, quorum alterum esse voluit Chryl. Theoph.  
& decumen. ibi: siue reatus poenae legis ad quem ho-  
mines destinabantur per illam (supra obligantem so-  
lum, non iuantem illos ad sui obseruantiam) quo-  
reatu, & destinatione Christi gratia sua, qua obser-  
uari poterat lex, homines liberavit, ut voluit Ada-  
mus, & interpretes Recentiores: tamen constat ante  
mortis Christi tempus deletum non fuisse eiusmodi  
Chirographum decreti: Similiter nec ante illud Dia-  
bolici principatus & potestates expoliatae sunt pote-  
state & principatu, quem in homines habebant: nec  
traduxerat eos confidenter palam deiecit, & car-  
natos spectandos circunducens, triumphans virtute  
propria, non alterius opitulantis virtute. Ideo Aug.  
serm. 197. de temp. Dæmones ante Christi aduentum,  
& mortem rabido solutoque Cani ad dilacerandos,  
inuadendosque homines comparabat; postea vero ra-  
bido Cani, sed ligato; qua comparatione vsi etiam  
Patres alij fuere non pauci. Respondet Valquez mun-*

do tum primum eiectum Diabolum : quia, & templis idolorum, in quibus colebatur, eiectus deinceps fuit, templis ipsis subuersis: deque eo superato palam actus est triumphus: cum dato publicè pretio libertatis detentas apud inferos Patrum animas confidenter eripuit: ac de inferno ouans cum captiuis redemptis cælos tunc primum apertos ascendit palam, ac penetrauit. De comparatione canis, ac dæmonis ante Christi mortem soluti, docet intelligendum esse de antecedentiâ, & posteritate naturæ, non temporis.

3 Mergit etiam inde difficultas secunda, quia, cum præmium esse debeat quod præhabitu non est, quomodo gratiæ tot ante sæculis præhabita à Patribus meritis esse potest? Confirmatur: quia, quod datur in præmium presertim condignum datur ut merces aliquo modo debita; nemo autem debere aliquo modo potest titulo rei nondum à se acceptæ temporariè, sed postea recipiendæ; imò qui prius tempore dat, obligat, non soluit, soluit autem qui dat posterius: atqui merita Christi nondum accepta erant à Deo: ergo nondum dabatur gratia antecessorum duratione hominum: ac proinde nec poterat dari, ut merces debita, ac præmium ob merita illa. Confirmatur à simili de pœna: quæ quia delicti merces est, nequit dari anticipato tempore ad illud. Nec refert merita Deum mouere secundum suam existentiam cognita, fuisse autem à Deo cognita sua æternitate futura pro sua duratione, quare & à mundi exordiis ipsum mouere potuisse, ut illa collatione gratiæ exinde in hominibus præmiaret. Nam cum delicta etiam existentia pro sua duratione ex æternitate præuideantur à Deo moueantque ad supplicium, ut à iudice cognita, à mundi etiam exordio puniri à Deo possent: imò quiuis à iudice certo de furto eius futuro vapulare ante delictum debet ac iuste posset.

Respondetur ex Doctrina à nobis data cum Lugo d. 27. sect. 3. num. 43. ea omnia argumenta locum habere in merito, de meritoque finito, quod cum determinatam mercedem respiciat, quouis tempore illam recipiat, sufficienter præmiatur, nec ante physicam sui existentiam illam petit, ipsius debetur: unde anticipatio solutionis, non ex purè debito, adhuc gratitudinis est, sed necessariò in præmij anticipatione anticipantis liberalitas intercedit: supplicium autem anticipari nequit delicto finito ob rationem egregiam ibi à nobis datam, ac verò in merito Christi infinito: quòdque rebus omnibus in præmij datus non exhauritur, & adamusim exequatur, locum non habent: cum ipsam anticipationem præmij non solum à mundi exordio, sed ex æternitate etiam fuisse, esseque posset, de condigno mereatur.

## CERTAMEN II.

*Vltima, eaque grauior difficultas eleuatur.*

1 **V**rgentiùs contra merita Christi respectu gratiæ antiquorum Patrum, siue duratione antecessorum arguitur. Quia his non potuit dari gratia ob merita Christi, nisi, ut ab eo pro ipsis applicata: ergo vel applicata fuere illis ab eo per orationem, vel per gratiarum actionem: nec enim aliter ab eo applicari ipsis potuerunt; At neutro modo applicari potuerunt à Christo pro antecessoribus duratione hominibus: ergo nec gratia illis conferri ob merita Christi. Antecedens proximum probò. Cum enim oratio nequeat esse prore iam ciera dubium ob tenta, teste Vasquez 1. p. d. 94. c. 3. p. 3. Soar. d. 72. sect. 1. quia oratio natura sua est ad obtinendum aliquid ab eo, ad quem oramus: quare de iam præhabitis, & ob-

*R. P. Christoph. de Ortega de Deo vno & Trino.*

tentis esse non potest pro gratia antiquis hominibus tot antea sæculis, & data, ob tenta & orare Deum Christus non potuit, ut eis ob sua merita daretur. sed,

Dices cum Valent. 2. 2. d. 6. q. 2. punct. 8. & Lugo proximè à num. 37. orari ab Ecclesia Deum pro defunctorum animabus, non quidem damnatis, libera eas de ore Leonis, ne absorbeat eas tartarus: quare pro liberis iam, cum oratur, ab statu damnationis, ergo pro iam datis temporariè potest esse oratio. Secundò: quia cum iam omnia à Deo ex æternitate decreta sint, & id, quod à Deo petimus, si conferendum est, sit æternitate integra ante nostram orationem à Deo decretum: nec potest, quod ab æterno decretum non est, decerni temporariè cum oramus, ob Dei immutabilitatem: ergo vel oramus Deum pro æternitate rota antea facta, vel pro impossibili. Sed contra: quia ex hac doctrina fiet posse nos petere à Deo Beatorum qui in cælis sunt gloriam ac beatitudinem. Duo ergo requiruntur, ut de antehabitis orare Deum possimus. Primum, ut dependenter à nostris orationibus decretum fuerit: quia ex parte non repugnaret Christum pro gratia ab antiquis Patribus receptâ orasse. Secundò: ut certus orans non sit antea factò tempore receptum esse id pro quo orat: quæ ex parte pro animabus defunctorum orare Ecclesia potest, non autem pro S. Petri gloria (quanquam pro animarum defunctorum æterna salute Ecclesiam orare non desiniam nunc absolute, an solum pro earum à pœnis Purgatorij redemptione, si ibi fuerint.) Ex hac etiam parte sequitur Christus orare pro gratiâ antecessoribus collatâ, quia eam iam receptam multo antea tempore certus est: ergo applicare non potuit Christus sua merita per orationem, ut gratia antecessoribus duratione donaretur. Sed nec ea applicari potuit ipsis per gratiarum actionem: quia hæc naturâ suâ supponit beneficium, & voluntatem donantis: ergo gratiarum actio Christi supponit naturâ decretum Dei, conferendi gratiam antecessoribus: ergo nequit mouere Deum, ut eam ipsis conferat. Probo consequentiam; quia nequit mouere ad decretum illud, quin ad illud naturâ supponatur: quare & ad se ipsum, cum sit essentia suâ gratiarum actio posterior naturâ decreto.

2 Hoc porro argumentum Vasquez quia nos, & Soaristas, ac ferè reliquos Theologos multos vexauit annos, dum primum illud antecedens de necessitate applicationis meritorum operantis merentisque, ut aliis mereantur, atque hi mercedem illorum titulo præmijque recipiant, certa adeo atque inuolabili lege verum reputant, ut in Christo etiam eiusque pro nobis meritis, exceptionem admittere non possint. Hinc, ut difficultati propositi respondeant, eas omnes solutiones tentant, quas pro merito Christi respectu gratiæ ipsius progenitoribus datæ, ut tales fierent, confutabimus q. 5. quare eis nunc referentis, refellendisque abstinebimus merito. Nos autem falsum antecedens illud indicamus tum in Christo, tum in aliis pluribus; quare cessat omnino atque euanescit propositi argumenti difficultas; Quod autem merita Christi, ut aliis proficiant ad præmium, ac mercedem illorum titulo recipiendam speciali Christi applicatione pro illis non egeant, docuere Salazar de concep. c. 4. §. 12. num. 105. Lugo d. 27. sect. 3. cuius rationem assignauimus nos à priori, & ab exemplis pluribus controu. de necessitate incarn. Etenim ex eo, quod operans sit aliis moraliter coniunctus, atque vnus cum illis, ut caput cum membris, pater cum Filio, vxor cum marito, imò frater cum fratre, ut alter illorum ob alterius merita præmiatur, atque in eo bene meritis mercedem præmijque suorum meritorum recipiat, benemeriti applicatione speciali opus non est, ut quotidie experimus. Etenim ob filiorum facinora belli sine vlla applicatione

FFFF x obeuntium

obventium premiari Patres, & contra ob Parentum antea merita premiari filios, ac ob res egregie gestas à marito & fratre mercedem recipere à Principe fratrem, & uxorem videmus quotidie, quin applicatio eorum vlla intercedat. Ratio à priori est; quia vnionis illius siue moralis vnionis iure, merita illorum præfatis aliis natura sua applicata sunt eo ipso, quod operantes premio vel non egeant, vel vni non possint. Hinc suapte natura iustorum iustificaciones, quibus ipsi non egent; sine vlla illorum applicatione Thesaurò Ecclesiæ deputantur, vt fratribus fidelibus profint iuxta communis Ecclesiæ Patris voluntatem: cum ergo Christus, & caput, & frater noster fieri sit dignatus, præmissis nobis conferendis non egeat, meritæque non pro his modo, sed pro infinitis aliis recipiendis supersint, vt illis in hominibus præmieretur, nulla speciali applicatione suorum meritorum pro illis opus habuit.

3 Dices primò: Christus orauit Deum pro pluribus, vt illis gratiæ dona præstarentur: ergo quia sine suorum meritorum speciali applicatione gratiam illis eam obtinere non poterat; alioquin superflua ipsius oratio foret, vt eis id obtineret, quod sine illa reciperent. Antecedens obstat ex Lucæ 22. *Rogauit pro te Petre, vt non desiciat fides tua; & pro Apostolis, ac Discipulis Ioann. 17. non pro mundo rogo, sed pro iis, quos dedisti mihi: ac rursus: non rogo, vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo.* Nego consequentiam: quæ, si aliquid probaret, probaret etiam Christum, vt sibi mereretur aliquid, speciali etiam suorum meritorum applicatione indiguisse, cum Patres orauerit: *Pater clarifica filium tuum;* pluræque alia. Licet ergo necessaria non fuerit ad meritorum applicationem, vt hæc aliis prodesse possint, in illisque premiari: certitudini tamen impetrationis, quæ positus meritis non esse possit, atque specialis erga Petrum & Discipulos sui amoris ostensionem potuit oratio inservire.

Dices secundo: Christus meritis suis fuit causa prædestinationis Sanctorum, vt est electio eorum præ reprobis: atqui nequit esse causa eius, vt talis, nisi pro antiquis Sanctis specialiter sua applicet merita, secus autem pro antiquis reprobis; ergo in illis tota instauratur difficultas. De maiori maior lis est inter Valquianos, & Suaristas, his obstinatè negantibus; sed ea adhuc admissa, negatur minor iuxta dicta controu. de prædest. d. de eius causis.

\*\*\*

### QVÆSTIO V.

*Quomodo Christus gratiam, quæ de facto ipsius existentiam naturæ præcessit, Progenitoribus fuerit promeritus?*

**E**cce summam controuersiæ huius priorumque difficultatem sapius tactam hæcque remissam, vt semel expedita simul plures conclusiones complanet. Diximus enim Christum Virginis Maternitatem, siue electionem eius in Matrem, ac proinde ab Originali immunitatem meritis suis obtinuisse: quæ, imò & Christi existentia illis omnibus naturæ & causalitate posteriora sunt. Quare, & illa natura sequi, ac simul antea aperta implicatione videntur. Diximus etiam cum B. Virginem, tum alios plures Christi Progenitores meritis suis ex gratia ac merito Christi profectis ipsum, suo quemque gradu procreare meruisse; in quo mutua eadem prioritas posterioritasque natura implicatoriè videtur admitti. Hæc igitur omnia simul, semelque ex eodem principio emollienda hæc sunt.

**N**onnulli solâ illâ difficultate de B. Virginis existentia ex meritis Christi, quem physico influxu antecessit, tanquam palpabili tanguntur; cum vero componi facile putant, si matribus, ac proinde Virgini actiuum influxum denegent: solumque illis materialem in eos concursum relinquunt, qui in diuerso genere est à concursu meritorum Christi: quia inter causas generis diuersi mutuum præcedentiam minime pugnare credunt. Ita Gaspar. Hurt. d. 6. d. sic. 9. cui præiur. Valquez d. 23. num. 25. Attamen principium illud de concursu materiali solum matrem in prolem, & falsum in philosophia est, & gloria Virginis derogat non parum. Secundo causas, quæ ad causandum absolutam sui existentiam requirunt, nunquam causare æquè in diuerso genere repugnat acque in eodem; quia, vt minimum, conditiones sunt se ex parte causæ alterius generis tenentes, vt illa suum concursum in suo genere præstet, effectumque edat: quare & esse debent antequam sint. Licet autem matris concursus in prolem materialis sit, materiam scilicet ex semine in aliis, & sanguine in Virgine, à se dispositam proli ministrando, vt sic ista à principio coniuncto sit, at verò ad eiusmodi concursum existentia matris supponitur: quare, & ad factum illo concursu ab ipsa edendum: ergo, licet materialis concursus Virginis fuerit, nequiuit existentiam Christi ac meritorum eius præcedere, quæ in genere efficientis supponit. Tertio: saltem in eodem genere debent dispositiones illæ præcedere: nam actiue à Beata Virgine causantur; si ergo in eodem genere præcedunt, nulla est solutio, nec ipsarum vnio in materia prolis, quæ absolutè præhabita supponitur, materia præij meritorum Christi posteriorum, in illo eodem genere esse poterit. Quarto: cum esse matrem dicat factum seruire ac nutrire, quæ in genere efficientis sunt, in reliquis à primo conceptionis instantibus Christi existentia actiue à Virgine pendebat: ergo nec in eis, nec reliquo vitæ tempore, pro quo eius conseruatio à conseruatione in ventre matris actiua pependit, Virgini meruit: Quare, vt meriturus postea, non meruit matri electionem talem, quæ ipsam præseruatiue redemit; ergo Virginis redemptio non fuit meritis Christi morte consummatis: cum tamen redemptio omni gratiam omnem ex meritis Christi morte consummatis fuisse, dogma Catholicum sit; Quinto, quia causæ physica cuiusvis generis non nisi dependentèr à Dei decreto, & operatione, siue cooperatione, quam exigunt, suos effectus edere possunt: ergo in genere existentie & moralis motionis Dei, causæ, cuiusvis generis sint, suos effectus antecedunt: ergo, est alias diuersi generis causæ mutuo se causent, in eodem genere tamen exigentis & moralis motionis Dei se causalibunt, quod iudicant isti impossibile. Sexto argumentum hoc maiorem vim habet in casu nostro: nam genus, in quo merita Christi causant præmium, est causæ actiue, non physica, sed intentionalis, atque exigentis & intentionalis motionis Dei, quo solum genere, in communi opinione, causarum dispositiones inducitur à B. Virgine in materia suæ prolis prolem ipsam, scilicet Christum. Septimò. Solutio hæc, licet difficultati de existentia, & electione Virginis è filij meritis satisfaceret; ast difficultati de merito Virginis, & reliquorum Progenitorum, vt suo quique gradu Christum procrearet, idque ex meritis Christi, minime satisficeret: cum huius, & illorum merita in eodem genere sint, in quo per hoc nequeant causæ se mutuo causare ac natura præcedere.

z Generalius alij, non melius, respondent apud Valquez

Vasquez r. num. 67. Deiparam & Progenitores reliquos de congruo solum Christum procreare meruisse: hoc autem genus meriti non præferri suapte natura ad præmium, illudve caulare, sed ex Dei voluntate, vel operantis, quare nec natura illud præcedere; cum autem gratia per Christum data Progenitoribus, ut ipsum procreare mererentur, de congruo ad hoc meritum supponatur, non ad Dei ordinationem, quæ absolutam meriti existentiam potuit natura præcedere, sit, ut, nec remotè supponatur ad se ipsum, quòd erat assignata repugnantia. Contra primò; quia meritum Deiparæ erga suam maternitatem condignum fuisse verius est. Contra secundò; quia licet de merito condigno censeant plures de se, naturæque sua in præmium non referri, sed ex Dei pacto, & promissione; ast de merito congruo nemo hæcenus somnauit. Cum enim inter hoc & præmium non sit proportionis æqualitas, non est, præter intrinsecam actus sic meritiui honestatem, Dei ordinatio, vel promissio ad meritum congruum, ut præmium respiciat; non tamen ita requiritur ut tota ratio meriti sit, quin in eo actus honestas, & laudabilitas ingrediatur: ergo hæc saltem inadæquata pars meriti, & sine qua meritum esse non potest ad Christi propagationem, antecessit in progenitoribus eam de congruo merentibus, ergo & antecessit Christum eiusque merita, ob quæ gratia illis data fuit ut mererentur, ac proinde merita progenitorum, & merita Christi mutuo alia aliis, natura & causalitate præcesserunt.

3 Audini alios respondentes auxilia gratiæ ad actus meritorios, & honestos non præcedere formaliter, sed materialiter solum. Etenim actus honestus & meritorius tale esse habent non ratione cogitationum & auxiliorum, seu quatenus ab eis sunt, sed ratione determinationis voluntatis se determinantis benèque illis utentis, cum malè uti posset, seu non uti bene: in quam voluntatis determinationem actiue auxilia gratiæ non influunt. Nullum autem inconueniens reputant, si materiale principium meriti sub ipsum meritum cadat, existimantes esse solum materiale præcedentiam, non formalem. Solutio peior. Etenim licet auxilia sanctæque cogitationes physicè actiue in actum non influant meritorium, tamen sunt conditiones se necessariò ex parte actus primi voluntatis tenentes ad illos actus, ut nec diuinitus possit eis ablatis illos elicere voluntas; ergo præcedunt illos, licet non ut principia actiua, ast ut quid lex ex parte principij actiui tenens, nec solum materialiter sed formaliter. Contra secundò: quia actus honestus ac meritorius, quæ talis, non solum procedit à potentia physica actus secundum physicam actus cogitationem, sed à potentia, quæ indifferens in actu primo ad actum, eiusque omissionem: at qui potentia voluntatis indifferens formaliter constituitur per cogitationem sanctam auxiliūque gratiæ, & per cogitationem oppositam: ergo cogitatio sancta gratiæque auxilium, licet non influant actiue, nec sint principia physica entitatis actus honesti, sunt tamen principia per se actus honesti, quæ honestus & meritorius est. Contra Tertio: quia ob duo hæc adeò per se est principium actus honesti ac meritorij sancta cogitatio, aut gratiæ auxilium, ut cum illud donat Deus, ratione illius censeatur Deus ipsum opus honestum ac meritorium donare. Contra quartò: quia, licet esset solum materiale principium, si tamen reuera præcedit, ut verè præcedit, eius existentia physica ad existentiam absolutam actus meritorij, quod præcedit ad merita Christi, quæ supponit, est eadem formaliter prioritas, & posterioritas physica inter illam, & merita Christi, eademque physica repugnantia, quæ ex physica, non ex formali Methaphysica præcedentia desumitur mutua. Mitto solutiones alias subtiliores confutatas statim à Vasquez cap. 5. & 6. ut ad celebriores alias pergam.

5 Soarius d. 10. sect. 4. Granad. controu. d. 7. n. 11.

plurèsque alij, ordinis intentionis, & executionis inter efficaces Dei voluntates distinctione præmissa, aiunt merita Christi ordine intentionis præuisa mouisse Deum, ut gratia progenitoribus, atque ipsa existentia Virgini donaretur in executione, ut eius ex ipsis propagationem mererentur, eorum verò meritis in executione præuisis Deum motum fuisse, ut ex eis Christum in executione procrearet, in quo nulla est repugnantia, sed quod frequenter vsu venit, ut quæ priora ordine intentionis sunt, ordine executionis sint posteriora, & è contra. Impugnant Lugo, & Recentiores: quia nequit esse materia præmij, id quod inuitabiliter supponitur existens ad merita. Aut conuenit necessariò cum illo, independentè à meritis: Quare nec vnionem hypostaticam posse esse præmium meritorum Virginis, nec merita ipsa Christi. Sed argumentum pura æquivocatio est. Etenim, nec vnionem, nec merita Christi præmium esse meritorum Virginis aut Progenitorum, docet Soarius, sed gratiam executiue eis darum meritorum Christi præmium esse; ast meritorum Virginis propagationem Christi ex ipsa, quæ cum meritis Christi eiuſve vnione in intentione præuisis necessariam connexionem non habent, nec ante Virginis merita præuisa in executione, præuisa ea propagatio in intentione siue executione fuit. Prima ergo impugnatio est: quia ex ea efficaci intentione aboletur libertas meritorum Christi. Secundò: quia ex sola efficaci intentione non videntur merita Christi absolutè existentia in se: ergo nec possunt mouere meritorie, iuxta à nobis dicta & doctrinam Soarij & Granados, qui solum admittunt merita remuneranda. Probatur antecedens: merita per solum intentionem efficacem Dei solum habent esse efficaciter desiderata, & determinationem in causa necessariò illatam existentia ipsorum per decretum executiuum, quod intentione efficacis inducitur non autem habent per illam solum existentiam absolutam in se, & extra causas: alioquin, vel existent in se, & extra causas sine vlla executione & causalitate, quod ex terminis implicat, vel decretum intentionum se solo executiuum, erit contra horum suppositionem. Ex quo rursus fiet ut in eodem executionis ordine merita Christi gratiam, & merita Progenitorum, naturà præcedant & sequantur, quod hac solutione fugiebant.

5 Tertia impugnatio. Quia esto habeant illa opera in intentione, siue sola intentione efficaci, existentiam absolutam sine executione: nequeunt tamen habere existentiam meritoriam: ergo, nec Deum meritorie mouere, ut præuisa absolutè existentia, ad collationem gratiæ Progenitoribus. Antecedens probò. Nam in illa existentia nullum est exercitium voluntatis Christi, nulla est operatio eius: ergo nulla est laudabilitas Christi, in ea existentia actus illius in intentione. Patet: nam, licet efficaciter Deus, siue quis alius intendens opera meritoria alterius laudabilis sit, non tamen alter, cuius opera meritoria intenduntur, quousque illa operetur: quisque enim de sua operatione, & bono vsu suæ libertatis laudabilis est, non autem de bono vsu alius: ergo nulla est in operibus Christi, propter existentibus præcisè in intentione ante omne eius exercitium, operationem, & executionem, laudabilitas Christi: ergo nullum est in eis, sic existentibus, meritum Christi; ergo, ut sic solum existentia præcisè opera Christi nequeunt mouere meritorie Deum, ut gratiam Christi Progenitoribus in eorum, & Christi præmium donet. Secunda consequentia est. S. Th. 1. 2. q. 21. a. 2. & 3. efficaciterque probata à Vasquez ibi d. 77. c. 3. d. 213. c. 5. ex illa verò currit inoffense consequentia vltima.

Quartò arguitur acriter ad hominem contra Soar. Ait enim vnionem hypostaticam non posse cadere sub meritum operis, quod ab humanitate eliceretur pro priori naturà ad illam, quia existentia naturà

connexa necessario est cum subsistentia hæc vel illa, quare materia præmij non est: sed existentia Christi & meritorum eius in intentione efficaci connexa necessario est cum hæc vel illa executione sui; ergo hæc executio nequit esse præmium meritorum Virginis, aut Progenitorum. Illud tandem miretis ob existentiam meritorum Christi in intentione, concedere Soarium posse in executione mereri unionem ipsam, quâ dignificabatur; contra quod arguit Bernal. sect. 2. num. 49. in consequentiâ Soarium, sicut nos proxime. Miretis amplius; hæc possibilitate admissa, negat ita contigisse de facto, cum tamen quid Christi merita poterunt mereri, promerita de facto fuisse bona consequentia Christo, quæ gloria sit. Magno igitur iure merita hæc Christi in intentione impugnantur à Vasquez d. 21. c. 7. d. 22. c. 3. à num. 24. è Lugo d. 8. sect. 2. num. 10. à Bernal. disp. 17. sect. 1. §. 3. vbi, & displicite etiam Albarco, Lora, & Becano testatur.

## CERTAMEN II.

*Solutiones ex præcedentiâ accidentariâ meritorum Christi, ad Progenitorum gratiam, & contra reselluntur.*

**R**ecentiores alij apud Lugo d. 8. sect. 3. num. 18. respondent Christum potuisse à Deo decerni, ut hæc vel illa subsistentiâ diuinâ, hæc, vel illa unione hypostaticâ: sicque potuisse mereri gratiam Progenitoribus sui que propagationem hæc determinata unione ad hanc personalitatem Verbi: quandoquidem cum hæc vel illa unione ad quamlibet ex personalitatibus æque Christi operâ infinite à Deitate dignificarentur. Sed contra. Quia decretum illud, vel est intentionum, (& sic recidit opinio hæc in impugnationes contra Soarium factas) vel est executivum, & implicat executivè decerni aliquid sub disfunctione æque ac sub disfunctione fieri de facto. Rerum disfunctionio in modo nostro concipiendi, & significandi esse potest secus in modo exequendi, & operandi. Contra secundò: quia ad valorem hunc operum Christi, intras unio hæc humanitatis cum Deitate, non secus atque unio, iuxta vulgarem sententiam, si sit de essentia compositi, non solum hæc materia, & hæc anima, sed & hæc unio determinata in singulari ad hunc hominem necessaria ita est, ut eâ mutata implicet hunc numero hominem permanere: ergo ad meritum hoc, ob quod de facto gratia data Progenitoribus est, quodque Christi fuit, in singulari præcessit, non quidem unio disfunctionem ad hanc vel illam personam diuinam, sed unio hæc determinata ad hanc personam Verbi determinatam in quâ argumentum integrum est. Contra tertio: non sit unio de essentia compositi, ac proinde, & hæc merita Christi poterunt esse sine hac unione singulari: saltem Christus non potuit esse sine Verbi personalitate, sicut, nec hic homo sine hæc anima. Quarto: unio hæc singularis humanitatis Christi ad Verbi personalitatem de facto præcessit, ut conditio ad merita Christi quæ fuerunt, nullâque alia præcessit de facto, licet alia possit alias præcedere: ergo de facto præcessit ad gratiam progenitorum quam supponit de facto: ergo de facto, quod fuit gratia illius causa, fuit causatum ad illa. Quod enim gratia possit esse effectus unionis alterius, solum probat tunc non fore mutam causalitatem, non autem nunc de facto non esse. Contra quinto: Quia operationes meritorie humanitatis Christi adeò necessario sunt huius humanitatis, ut nec diuinitus possint esse alterius humanitatis, utpote operationes actusque vitales: atqui Progenitores Christi gratiâ ab his operibus Christi profectâ meruerunt hanc causare humanitatem: ergo gra-

tia hæc progenitorum fuit causa principij essentialis meritorum Christi à quibus causata fuit.

2. Vt has difficultates componerem recentissimus Theologia auditor in eam incidi mentem in quam duobus post annis Magister meus Didacus de Alarcon incidit dum tractatum de prædestin. quem cum alia postea cudid, è cathedra dictaret. Nempe, principia remota meriti sub meritum cadere posse: ac proinde cum Christi merita remota principia gratiæ ac meritorum Progenitorum sint, à quibus remore etiam causantur, se mutuo causare sine vlla repugnantia potuisse. Ratio eadem etiam occurrit vtrique. Quia mirum ut Christi merita & existant, & Deum moueant, ut gratiam progenitoribus donet, nil conducit, quod humanitas ab iis vel illis progenitoribus sic quare, addebat ille, æque per accidens se habent merita, & influxus progenitorum, etiam Diuiparæ, in humanitatem atque musica, & galerus in ædificatore ad domum construendam: cæterum Alarcon minus nobis consequenter ad hoc principium discurrit. Affert enim progenitores Christi non potuisse mereri adhuc de congruo incarnationem, quæ tamen principium proximum gratiæ progenitorum & meritorum eorum non sit, nec hæc causa proxima incarnationis. Secundò ait, Christum non potuisse mereri decretum incarnationis, quod tamen causa proxima meritorum Christi non est, sed remota.

Tertio iuxta hoc principium actio productiua humanitatis non supponitur per se ad Christum merita, sed sola existentia humanitatis vnita hypostaticè, à qua physicè & elicitur opus meritorum & dignificatur: ita asserit Alarcon. Pergo inde contra ipsum. Ergo potuit Christus mereri incarnationis decretum. Probo hæc consequentiam: per te libertas decreti incarnationis constituitur actione incarnationis seu terminata ad unionem hypostaticam (sic enim constituit decretum libera Dei per actiones eorum, quæ illis decernuntur) ergo ante actionem productiuam unionis hypostaticæ, siue incarnationis in factò esse non est liberum decretum Dei de incarnatione in factò esse, sed ipsa formaliter constituitur: ergo quod potest hæc actionem mereri, potest mereri liberam determinationem Dei de incarnatione in factò esse: atqui eam actionem potest suis operibus promereri Christus, cum remore solum, non proxime immediate præcedant opera meritoria Christi, ac proinde per se ad illa non supponantur, sed merè per accidens, sicut musica ad ædificandum: ergo & potest Christus mereri decretum liberum Dei de incarnatione in factò esse: denique ipsam incarnationis substantiam poterit promereri; nullo enim alio modo terminari positionem mereri ab aliquo possumus, in cuius potestate est, quam merendo liberam determinationem ipsius de illo ponendo.

Dicit Alarcon implicare existentiam incarnationis, siue unionis hypostaticæ, quæ præuidenda est, ut principium proximum, ad hoc ut merita absolute existentia præuideantur, quin aliqua actio, vage saltem præsupponatur: Quare libertas Dei solum erit ad hanc actionem, vel illam, non vniuersim ad omnem actionem. Contra primò: quia non minus implicat physicè existentia effectus ab actione vage quam metaphysicè à nullâ: Siquidem physicè existentia actiois vage & non determinatè singularis est impossibilis. Secundò decretum Dei erga substantiam & existentiam effectus nequit actione vage, seu vage constituisdemum cum actio illa vaga ad substantiam unionis, & incarnationis necessaria omnino sit, nec liberè ponatur, nil est, in huius sententia, libertatem decreti per libertatem actionis constituyente, quo decreti circa incarnationis substantiam constituitur libertas.

3. Hæc ab inconsequentia contra Alarconem venio ad doctrinam, quondam etiam nota substantiam, quæ prius, quam ipse in eam incidere, contra aduocati

nostri lenocinia nobis ipsis displicebat & in primis causam remotam adeo per accidens se habere atque musica seu galerus artificis respectu ædificij ab iplo constructi. Quod specialiter addebat Alarcon, nullatenus potest sustineri. Etenim alio modo se habent Patres artificis respectu ædificij, atque eius musica, vel galerus: quandoquidem illis deficientibus, & artifex, & ædificium, ex vi præsentis dispositionis non esset, esset autem etsi deficeret musica & galerus: ergo per se suo gradu requiritur causa remota, præsupponiturque ad effectum, ac non per accidens, sicut musica & galerus edificatoris. Confirmatur: quia Aristoteles causas per accidens à causis per se distinguens in proximo principio utramque designavit, vt in musica, & architectura, seu arte domificatrice ædificatoris. Secundò causa remota verè causa est, causa per accidens absolute ac verè causa non est, vt patet in exemplo dato, ergo causa remota non est causa per accidens. Tertio pone causam remotam, quæ sit causa per se, & essentialiter requisita ad causam proximam, ita vt implicet causam proximam esse sine illa, & vide an audeas illam dicere causam per accidens, ac cadere posse sub merito effectus remoti: tunc enim non magis posset effectus sine illa, quam sine proximà esse. Licet autem in causis non essentialiter requisitis possit effectus esse sine causa remota absolute, etiam potest esse sine causa proxima non essentialiter requisita ad effectum: & tamen cum de facto ab hac causa proxima causatur, hæc causa proxima causa per se est effectus illius, illaque posterior per te: ergo, & causa remota, etsi non essentialiter requisita, dum de facto remotè causat, per se est causa effectus, ac præcedens natura in sui existentia, atque effectus in sui existentia verè est ipsa posterior de facto, ergo si effectus potest suam remotam causam causare, quæ de facto causatur etiam non essentialiter remotam causare causam à qua causatur, ac de facto verè & re ipsa esset illa prior natura, & posterior, quod repugnat, & magis quam respectu causa proxima, imò & prior se ipso re ipsa foret. Quid enim prius est prior, in quavis serie aut linea, siue loci, siue durationis, siue causalitatis, prius est omni eo, quod est illo priori posterior.

Dixi autem maiorem esse repugnantiam in prioritate effectus respectu causæ remotæ, quam proximæ, quia, vt sit causa remota prior effectus, pluribus retro gradibus prior debet existere quam existat, vt illam causet: eoque pluribus, & pluribus, quò causa remotior & remotior est. Nec refert hanc prioritatem, & posterioritatem mutuum non repugnare, quia est ratione diuersarum actionum, vt constat ex physicis & ex dictis q. 1. & si hæc admisso, etiam poterit causare, esseque prior natura effectus suo proximo principio imò & seipsum causare poterit, vt q. 1. recentiores consutari docebant.

Arguo 2. causa proxima effectus præcedit ac præuidetur necessariò existens à Deo ante effectum, quia videnda est existentia effectus absoluta, quæ nequit esse sine actione determinata singulari, qua extrà causas ponatur effectus, quæque esse nequit sine causa proxima determinata, cuius est actio, & modus essentia sua affixus & connexus cum illa; ergo debet etiam præcedere natura, & in præuisione Dei actio singularis determinata productiua causæ proximæ, & causa remota, cuius modus essentia sua connexus actio illa singularis est, & sic de aliis actionibus, & causis remotioribus vsque ad vltimum. Probo consequentiam, quia æquè essentialiter supponit existentia causæ proximæ singularem actionem determinatam, & hæc causa remota immediatæ existentiam, atque effectus actionem determinatam singularem, & hæc existentiam causæ proximæ: sed ob hæc essentialem præsuppositionem præcedere, præuiderique debet existentia absoluta causæ proximæ per te: ergo, & remotæ. Confirmatur, quia, si ad præcedentiam, & præuisionem

existentiæ absolutæ causæ proximæ satis est supponi actionem, & causam ipsius aliquam vagè ad præuisionem, ac præcedentiam effectus respectu causæ, quam per te est causaturus, satis erit supponi actionem, & causam proximam aliquam vagè: ac proinde in tua doctrina non solum causa remota, sed & proxima poterit causari à suo effectu. Denique Doctor hic magnam in toto suo discursu æquiuocationem fuit passus, solum attendens ad principia essentialia, & sine quibus non poterat esse effectus, vt prioritatem concederet illis solum, non necessariis autem negaret. Cum tamen æque hæc cum de facto causæ sunt, præcedant, atque illa, sineque effectibus suis siue proximè, siue remotè priores: quare in præcedentiâ, & prioritate æqualia sunt, non autem in necessitate præcedendi, vnde rursus causæ remotæ æque, atque proximæ materia præmij esse non possunt operis meritorij quod causant, quia præhabita supponuntur.

### CERTAMEN III.

*Recentiorum Murcianorum pro eadem solutione de remoto principio meditationes alias reuicio?*

Murciani Recentiores censent in causis physicis, quæ nimirum sua pura existentia physica causant, non posse sine implicatione causam remotam etiam à suo effectu causari: quia vtriusque physica existentia secundum se erit alterutra; imò & se ipsa prior & posterior; at, in causis intentionalibus non repugnare effectum esse causam causæ suæ; quia cum causa intentionalis, etiam quæ causat secundum abolutam sui existentiam, non causat secundum illam physice nudèque secundum se sumptam, sed, vt apprehensam, & cognitam, id quod supponitur, dum causat est existentia non physice sumpta, sed cognita, & apprehensa, accidentalitèr saltem à sua existentia physica differens: quæ, cum à suo effectu causetur, non causabitur idem, quod supponebatur ad illud, nec idem secundum idem erit alio prius, & posterius, in quo erat repugnantia. Probant à simili, quia Pater in diuinis generat Filium per ipsius cognitionem intuitiuam, ac proinde existentia Filij cognita supponitur, estque intentionale principium suæ physice existentie. Rursus, si Deus reuelat Petro & Ioanni amorem alterius erga alterum, poterunt ob sic cognitum amorem alterius se mutuo amare: at proinde amor vterque se mutuo causabit. Denique exempla equi, & armorum ad hanc etiam doctrinam inducunt: sed contra est primò, quia ratio formalis mouendi in causis intentionalibus, quorum absoluta existentia cognoscenda est, vt causent, ( vt in causa meritoria ) non est cognitio existentie, siue existentia vt apprehensa, sed existentia causæ physice, licet cognitionem, tanquam applicationem sui ad voluntatem, vt mouere illam possit, requirat: sicut quod mouet intentionalitèr supponiturque ad amorem finis, non est bonitatis cognitio, sed bonitas finis, licet, vt possit mouere, opus habeat cognitione: ad eum item modum quo, licet tota agendi ratio sit, in agente tamen sine appropinquatione ad passum agere nequit. Vocantur autem intentionales causæ, non quia secundum esse intentionale, non autem physicum, causent; sed quia esse ipsarum physicum nequit mouere voluntatem & causare, nisi cognoscatur: Ex quo apparet æquiuocatio, quæ Recentiores hosce decipit. Nec satis est aliquando in re non esse bonitatem, quæ apprehenditur, & mouere: id enim non est mouere bonitatem apprehensam, vt apprehensam, sed rei malè apprehensam: Quare in eo qui decipi nequit, vt Deus, & in intuitiua visione, quæ in rem non per species alienas, sed per ipsarum rerum, vt in casu nostro, positionem est, ipsa vera & realis physica rerum bonitas absoluta.

<sup>2</sup>bsoluta, ac meritoria mouet ad præmium.

Contra secundò : quia existentia eius, quod mouet media suæ physicæ absolutè existentia visione prior natura est ipsa visione, per quam mouet : atqui effectus meritorius mouet media suæ physicæ absolutè cognitione : ergo existentia physicæ absoluta effectus meritorij prior est visione, per quam mouet. Atqui visio prior est præmio, quod datur ob effectum meritorum, siue meritum causatum per te : ergo à fortiori existentia physicæ meriti, siue effectus meritorij, prior est præmio, quod ob ipsum datur : ergo causa meriti, siue effectus sui meritorij nequit esse præmium causatum à illo, quin existentia ipsa physicæ absoluta meriti prior natura sit, quàm sua causa, qua est posterior. Vnde ratio illa primæ, quàm à priori vocabant Recentiores proflus euanescit. Licet enim in causis, quarum existentia mouet vt cognita non præcedat natura sola physicæ existentia earum, sed & earum visio, siue cognitio ; at ipsa etiam, existentia physicæ in se præcedit suos effectus : ex eo autem, quod aliud etiam præcedat, non vitatur repugnantia mutæ prioritatis. Maior prima constans est in philosophia : nempe obiectum, quod rationis figmentum non est, atque non per alienas species repræsentatur, natura sui cognitione prius est, id quod ex argumento Recentiorum secundo constat, sed productione Filij diuini è sui ipsius cognitione ; qui enim ita censent omnes asserunt eum esse obiectum per se quarto modo requisitum è quatuor enumeratis ab Aristotele suæ cognitionis, & processions : in quo quarto modo requisitorum dependentia eorum ad quæ requiruntur, clauditur expressè ; quare, qui sic censent prioritatem Filij respectu cognitionis sui, quæ procedit, ac proinde respectu sui etiam planè admittunt saluarique repugnantiam aiunt, quia in alio genere prior est sua processione ab eo, in quo est illa posterior. Respondent Recentiores duplex esse genus : prioris secundùm naturam, alterum causalitatis, & influxus notissimum ; alterum independentiæ non mutæ, vt in termino, qui essentia sua independentis est ab actione, cum tamen actio essentia sua independentis à termino non sit, à quo essentialiter dependet. Cum tamen vtrumque prioris genus in extremis duobus inuenitur, atque opponitur prioritatis naturæ, quæ est influxus, & causalitatis, ac fortior alia secunda, præualet impeditque secundam independentiæ non mutæ, vt patet in actione, & termino, qui absolutè posterior actione quâ producitur est, nullatenusque absolutè prior, sicut esset, nisi prioritas naturæ secundi generis, nempe independentiæ non mutæ, pugnaret, vincereturque à prioritate fortiori respectu ipsius termini, causalitatis, & influxus actionis, quâ producitur. Hoc ipsum euenire aiunt in principio essentia sua connexo cum suo termino, siue effectû, vt in Patre æterno connexo essentia sua cum Filio, qui licet ratione connexionis illius sine Filio esse nequeat, tamen prior absolutè ipso est, nullatenusque posterior, quia eius prioritas, respectu Filij, est prioritas fortior, nempe influxus, seu quasi causalitatis. Ad eum modum, licet scientia, quæ sui obiecti purè speculatiua est, sit ipso posterior ; at, quæ ipsius practica & actiua est, simpliciter est atque absolutè prior, nullaque ratione illo natura posterior : licet ab illo pendeat dependentia à posteriori, sicut actio à termino, sine quo esse nequit ratione essentialis connexionis quam cum ipso habet.

3 Cæterum Doctrina hæc petit manifestè principium, & est falsa, & insufficientis. Primum probo. Scientia de se, seclusa ratione influxus in suum obiectum, est posterior natura ipso : ergo, vt ex hac Doctrina probetur visionem meritorum non esse posteriorem meritis absolutè, quæ ipsius obiecta sunt, debet supponi esse illis priorem originariè siue influxiue : quod nullatenus probatur vt sic extinguitur prioritas obiectiua meritorum, siue impediatur

à fortiori influxiua visionis. Supponitur ergo de quo disputatur.

Secundò Doctrina solutionis falsa omnino est duplici ex capite. Primò : quia prioritas fortior vni extremi non abolet sola sui positione, quin alterius extremi prioris alias prioritate debiliore causalitate quâ prior formaliter est respectu illius, prioritatem respectu eiusdem ; alioquin, cum causa efficiens fortior sit, quàm causa materialis, poterit efficiens causare materiam à quâ educitur, quin hæc sit ipso prior natura : quare forma ignis vel caloris poterit sine illa repugnantia prioritatis, & posterioritatis causare materiam actiue, à quâ passiuè causatur : quod est impossibile. Cum ergo causalitas, siue influxus obiecti in visionem non impediatur ab influxu illius in obiectum ( imò nec impediti possit obiectis, quoniam in se terminant sui visionem, de quibus nunc, scilicet meritis Christi respectu visionis diuinæ ad quem solum terminatiue per extrinsecam sui positionem concurrere possunt ) fiet, vt nec in illo impediti possit prioritas obiectiua existentia obiecti seu meriti intuitiue visi ob influxu visionis in ipsum : quare & merita erunt priora natura visione Dei intuitiua illorum, etsi ab illa influxiue causarentur : ac proinde dabitur implicatoria mutua prioritas inter existentias absolutas meritorum, & visionis, ac inter scientiam quâ Filius à Patre procedit, & Filium diuinum : quod etiam in actione, & causa necessario causante, cuiusmodi est Pater æternus respectu Filij, inuenitur. Etenim influxu actionis in terminum, & Patris in Filium non auferitur necessaria connexio eorum cum termino, ac filio, in quâ stat prioritas horum respectu actionis, & Patris, in tuâ doctrina.

Dices omnem prioritatem dicere negationem dependentiæ mutæ inter extrema : quia dicit independentem, quod est prius ab extremo, quod ab ipso dependet, ac proinde est ipso posterior : quare in actione, & causa, seu principio necessario operante non posse esse prioritatem illam independentiæ mutæ. Contra Primo : ergo malè assignatur à te exemplum prioritatis dependentiæ, & connexionis non mutæ in termino respectu actionis, quâ producitur, cum inter hæc mutua sit dependentia. Contra secundò : quia ideo prioritas inter extrema dicit negationem mutæ dependentiæ in existendo, quia inter quæ datur, dabitur mutua prioritas, & posterioritas naturæ in existendo implicatiue contra te. Hinc constat falsam esse doctrinam hæc ex altero capite. Etenim actio, & principium necessario productens, licet sine termino esse nequeat, nullatenus cum ipsis connectuntur tanquam cum aliquo naturæ prioris, sed posteriori, cui vnumquodque ex illis necessario & inuitabiliter præcedit natura, nequitque non præcedere : quæ necessitas cum ex priori signo naturæ illi adfit, nequit dependere à termino quod pro illo signo implicat esse. Distingue ergo in causa seu principio de se necessitato ad agendum atque in actione si vis etiam connexionem cum termino tanquam cum posteriori, à dependentia, & posterioritate respectu illius, & non patieris illos paralogismos.

4 Denique doctrina hæc est proflus ad rem præsentem insufficientis. Nam connexio scientiæ, seu visionis cum ab obiecto non est, cum illo, tanquam cum termino, sicut actionis, seu principij necessario productis cum suis terminis. Secundo est insufficientis, quia licet demus meritum quod est visionis obiectum, non esse prius natura visione, at vtrumque prius est decreto, quo ob meritum sic præuisum absolutum discernitur à Deo, causaturque principium, siue proximum, siue remotum meriti ipsius : ergo & est prius suo principio, quo est posterius aliunde : ac proinde datur mutua prioritas inter meritum absolutum & eius principium : ac tandem vtrumque se ipso prius est, quod refugis.

Dices

Dices præsupponi, ac mouere meritum præuisum ordine intentionis ad ponendum suum principium ordine executionis. Sed hoc est recidere in sententiam Soarij atque hanc deserere: recurrētque impugnationes contra illum datæ cert. i. Deinde cum mutua est causalitas inter meritum, & eius principium, cur alterum intensiuè, vel executiuè potiùs, quàm alterum præcedat? quare vel nullum, vel vtrumque ordine vtroque duplici repugnantia alteri præiuit.

Dices præuisum esse ordine executionis; aut decreto, & actione vagè sumptis. Impugnatum est hoc cert. 2. nil enim potest existere in executione, & absolute sine decreto, & actione singulari: ac proinde, & præuideri in præuisione debet, & actiuitas hæc determinatè præcedere: quare visio decreti, & actionis, quæ ponatur principium meriti, non poterit præcedere ad meritum, ac simul ad illam Deus ex merito moueri sine mutuâ repugnantia prioritate, & posterioritate vtriusque.

Dices tandem reipsa non nisi decreto, & actione determinata existere absolute meriti principium; aut earum præuisionem disparatè se habere ad meritum eiusque motionem respectu voluntatis diuinæ; etenim æque motionis, & valoris est meritum, quocumq; decreto, vel actione ponatur: quare huius decreti & actionis in singulari præuisio in ordine ad motionem non præsupponi, caderetque proinde posse hæc in singulari, atque principium hoc determinatum sub meritum: atque hoc Deum mouere ad eâ omnia in singulari. Sed contra Primò: quia æque impertinenter se habent ad vim causatiuam atque existentiam physicam suorum effectuum in causa proxima cause illarum determinatæ: à quavis enim alia ponerentur, eodem modo actiua exactiueque suorum effectuum forent: ergo & agere, physice & exigere possunt suas causas siue proximas, siue remotas. Contra secundo: quia, licet visio cause & actionis qua ponitur meritum réque ipsa illud antecedit, non antea ponatue in merito vim motiuam ac valorem, tamen nequit non à Deo præ natura priori, in quo est videri: cum nequeat Deus non videre quæ sunt vbi primùm sunt.

Dites nec id negari à te, quod scilicet videatur causa; & actio determinata hæc à Deo pro suo signo priori natura: ac simul videatur esse natura priorem; aut visionem ipsam non esse priorem merito, nec iurare vt hæc moueat Deum, ad conferendum in præuium ipsius principium. Sed contra: quia visio cause mouet Deum ad ponendum ex parte suâ effectum ipsius, sicut à causa quavis exigitur: ergo visio principij cuiusuis effectus, ac proinde meriti mouet, estque prius natura positione effectus, ac proinde meriti, quatenus est ex parte Dei: quare cuiusuis causa visio suo gradu prior natura est merito, iuuatque vt illud sit nec se habeat disparatè.

Sed esto: ex omnes repugnantia cessarent: nec videatur principium meriti pro signo nature priori, ad meritum ipsum: saltem reipsa prius natura præbatur principium meriti progenitorum ad merita Christi, & vniuersim principium quodvis ad meritum: ergo nequit esse materia præiij, vt sapius docui. Adversariorum fundamenta disieci omnia præter illud de amore mutuo Ioannis & Petri se mutuo intentionaliter causantibus ex reuelatione; quod in specie nondum attingimus; generatim verò disiectum etiam est: negandum enim est vtrumque posse amare, ex reuelatione, amoris ab altero præhabiti: sed alterum amorem ex reuelatis fore ab alterius amore independentem, ne sit vterque prius natura, quàm sit. Ad exemplum de equo, & armis diximus d. antecedenti q. vltimâ, constatque ex ibi dictis extrahere hæc esse. Sed,

Insuper; Deus nouit, si Ioanni reueletur amor absolutus Petri erga ipsum, amabit ob id Petrum; ex hæc

R. P. Christoph. de Ortega, de Deo vno & Trino.

autem scientia poterit sine erroris periculo reuelare Petro amore petri Ioannis erga ipsum, ac Petrus ex hac reuelatione amare Ioannem, qui ex huius reuelatione amoris Petrum amabit absolute, vt conditionatè fuerat præuisum. Respondetur ex præuisione solum conditionatè amoris Ioannis, non posse reuelari Petro Ioannis amorem: cum enim liber hic futurus sit, antecederet non esse absolute potest; quare reuelatio Dei esset antecederet fallibilis, quod implicat. Secundo: vel amor Petri reuelatus, præuisusque conditionatè, fuit ita præuisus absolute ab amore Ioannis absolute, & reuelando, vel ab illo dependens. Si absolutus ille, non ponitur absolute; si dependens, nequit absolute reuelari esseque ante amorem absolutum Ioannis, sed necessariò post ipsum.

Denique opponunt Recentiores: quod est posterius tempore mouere potest ad conferendum præuium: ergo, & quod est posterius natura. Reieci sæpè hanc consequentiam. Est enim: quod habet absolute esse futurum potest mouere: ergo, quod solum habet esse conditionatum, (quod solum habere, vt summum, potest effectus pro priori, seu antea prius natura suæ cause) potest mouere.

CERTAMEN IV.

Herize, atque Lugo solutiones consulantur.

Lugo d. 8. sect. 2. à num. 85. Bernal. d. 17. sect. 3. §. 1. num. 54. fusiùs d. 18. sect. 2. §. 1. dicunt Christum longitimo illo deserti ieiunio, atque in horti tristitia, & agonia miraculosè à Deo solum fuisse conseruatum, cum cause naturales mortem eius potiùs quam vitam exigerent, eam verò conseruatiuam, si tempus expectetur, actionem natura temporariam eius conceptionem præcessisse; sub eaque existentem Christum progenitoribus gratiam promeruisse, vt eum procreare suo quisque gradu mereretur: sicque ex meritis eorum ex ipsis progenitis, nutritus, conseruatus atque in præfata tempora seruatus est, quin merita Virginis, aliorumve progenitorum Christi existentiam, quo tempore gratiam illis meruit, ac proinde meritorum eius natura præcederet. Quod autem Deus in horto primo nature ordine decretus fuerit probat Bernal. quia secundus Adam, scilicet Christus, in statu virili ad modum primi, fuit primo decretus: id quod est eleganti Patrum (præcipuè Nazianzeni orat. i. col. 10.) comparatione inter Adamum, eiusque lapsum, & Christum ipsiusque reparationem floridiùs suadet quàm fortius, rethoricè, non Theologicè.

Contra Primò: quia nullo fundamento Christum retrorsum, (vt de Remigibus dici solet) viuere hi Doctores cogunt. Secundo: quia primam mortis acceptationem à Christo in horto exhibitam docent, contra Paulum ad Rom. 10. Patrèque, & interpretes ad eius Verba, *ideo ingrediens Christus in mundum dixit, vsque ad ecce venio*: quæ de mortis acceptatione à Christo in primo instanti conceptionis exhibitâ intelligunt omnes. Contra tertio: quia gratia progenitoribus, etiam Virgini, data per Christum fuit, gratiâ redemptionis, præseruatiuè in Virgine; ergo fuit ob merita Christi, morte consummata. Antecedens dogmaticum est, nec minùs certa apud omnes consequentia, ex illo ad Hæbr. 10. *vna oblatione consummauit in æternum sanctificatos*: atqui mors merita illa consummans, vt oblata patratæque à Pharisæis ac Iudæis reliquis, pependit ab inuidia eorum ex Euangelio: hæc autem à miraculis, & prædicatione in antea facta Christi vita ab ipso factis, vt ex Euangelio ipso constat, vita autem eius temporis supposuit naturâ per vos conseruationem eo vsque, nutritionem pueri eiusque

G G G G concè

conceptionem, ex Virgine proximè, atque ex aliis progenitoribus remotè: ergo hæc solutio, & implicat, & integram relinquit difficultatem.

Herice d. 29. de præd. c. 4. num. 44. docet Christum primo decretum esse independentem à Virgine, & Progenitoribus pro primo conceptionis instanti, sicque promeruit eis gratiam, vt eius Progenitores esse mererentur, talèque essent pro naturæ posteriori: quin existentiam, vt positam vi primi illius decreti, qua illis meruit, eorum merita præcederent, sed existentiam, prout per secundum decretum ab eorum meritis dependens positam; addit autem, vtriusque decreti, & positionis vnicam esse actionem totalem, sed, cum ipse de decreti constitutione per actiones extrinsecas agens, doceat non solum è diuersitate principij sed & modi actiones diuersificari, actio, quæ primum decretum natura antè de existentia Christi à solo Deo, independentem à meritis & Virgine constituendum pro priori naturæ est, diuersa realiter esse debet ab actione, quæ posterius naturæ constituendum est ex meritis, & influxu Virginis in existentiam Christi; alioqui nec diuersificantur actiones ex motiuo, & principio, nec potest non actionum ordo naturæ, & consequenter, decretorum etiam confundi: quandoquidem actio re ipsa pendens à meritis pro priori decreti independentem à meritis esse debeat, vt illud constituat. Vnde rursus fiet pro nullo signo Christum existere independentem à meritis Progenitorum. Etenim existere nequit nisi per executionem, siue actionem aliquam realem, & de facto per hanc: hæc autem actio realis, quæ pro signo prioris decreti ipsum constituit, est re ipsa ex meritis Virginis, & Progenitorum: ergo pro signo etiam existentia Christi ex priori decreto exiit Christus ex meritis Virginis, & Progenitorum: ergo nequiuisset existens vi prioris decreti mereri gratiam progenitoribus, vt ipsum procreare mererentur, quin mutua prioritas, & posterioritas naturæ inter gratiam Progenitorum, & merita Christi implicatorie intercedat, quare doctrinam solutionis huius integram relinquit difficultatem, quam tentabat componere.

3 Respondet, Primam actionem primi decreti constitutam, & existentiam pro primo signo executiuam cum Deo identificari, esseque solum virtualiter transeuntem. Contra primò Ergo non identificatur cum actione secundi decreti de existentia Christi dependentem ex meritis Progenitorum. Patet. Nam hæc est etiam formaliter realiter transeuntes, nec solum virtualiter transeuntes, sicut prima: & virtualiter transeuntes solum non formaliter, nequit sine contradictione re ipsa identificari cum transeunte etiam formaliter: ergo deseris hæc solutione primam, duplicemque actionem totalem circa existentiam Christi admittis cum recentioribus relatis ac refutatis à te num. 41. Ita sanè est: ipsæque fatetur, dum actionem illam solum virtualiter transeuntem primam appellat, quæ non nisi alterius secundæ respectu prima esse potest. Contra secundò: quia iam in physicis controu. i. satis reieci doctrinam, hanc paradoxam de identificatione productionis ad extra cum Deo. Contra tertio: quia facilius plausibilisque doctrina hæc ad virtualem defectibilitatem decreti liberi Dei admitti possit quam ad virtualem transitum productionis ad extra identificationem cum Deo: cur ergo hæc admittat illam tantopere oderit Herice, prorsus non apparet. Quarto existentia Christi secundum se indifferens est, vt ex hoc, vel illo motiuo, & sine, independentem à causis secundis producatur, quare, & diuerso decreto à Deo quod nunc de facto ponitur: inquiri ergo, per quod illud differret? an per actionem identificatam cum Deo, & solum virtualiter transeuntem? ergo sine villo extrinseco, & creato per solum Deo intrinseca decreta Dei libera constituuntur per te, & contra te; an per extrinsecam actionem? ergo & decretum, quod

nunc est per similem aliam constituitur: cum eadem esse debeat vtriusque ratio.

3 Ad hæc num. 45. ait decretum conseruationis Christi vnicum esse, quod, & dependenter à causis secundis, earumque exigentia, cum aderant, & independentem ab illis, cum aberant, vt in horri agonia, conseruaretur. Contra primo: ergo, & vnicò solum decreto dependenter à causis secundis, & independentem ab illis potuit primo produci; secundò: cum actus voluntatis se ipsis, ac essentia sua obiecta & motiua respiciant, implicat deficiente exigentia causarum secundarum idem decretum esse, quo illam respicit, si illam aliquando respexit. Tertio: decretum illud nequit esse dependens, & independentem simul à causis secundis sine contradictione, siue concipi dependenter ac independentem ab illis. Quarto: cum Christus gratiam omnem Virgini non solum operibus à se in conceptionis instanti elicitis, sed reliquo conseruationis suæ tempore fuerit promeritus, si conseruatio Christi fuit dependenter à causis secundis, ac prouide à conceptione ex Virgine, quomodo vitatur mutua prioritas inter merita Christi, & gratiam ob illa Virginis datam, vt eius Mater effici mereretur? Sed, nec si solis operibus elicitis in primo instanti conceptionis gratiam illi meruisse Christum admittamus, difficultatem vitabit Herice. Cum enim gratia eiusmodi tam Virgini, quam Progenitoribus aliis collata gratia redemptionis fuerit, non nisi ob ea merita, vt consummata per mortem Christi fuit: Cum autem hæc fuerit illara ex inuidia Phariseorum è Christi miraculis, dum conseruabatur decreto dependenter à causis secundis, ac prouide à conceptione prima ex Virgine: ergo non euadit mutua prioritas inter merita Christi & gratiam Progenitorum, quæ tales esse fuerunt promeriti.

Nec refert, tam decretum, quam actionem conseruatiuam, prouide independentem à causis secundis, formaliter supponi ad existentiam Christi gratiam Progenitoribus merentis. Etenim, cum ad absolutam Christi existentiam decretum, & actio illa, vt re ipsa sunt, realitèque accepta naturæ necessario præcedant, nequeantque realiter esse, ac præcedere secundum vnã formalitatem sui, sine alia, quæ ipsi re ipsa identificatur, nec res sine se ipsa sit, solutio est implicatoria.

## CERTAMEN V.

*Nostra eaque solida ardua huius difficultatis compositio.*

1 **A**sfero Christum Dominum duplici decreto adæquato de eius prima existentia primo conceptum, in quo cum nostro Herice conuenio; duplici etiam adæquata actione, in quibus ab eo discordo, consensio tamen recentioribus ab ipso citatis num. illo 41. addo toto vitæ tempore vsque ad mortem decreto illo independentem à causis secundis, quod natura præiuit decretum de eius existentia dependentem à causis secundis, Christum fuisse conseruatum duplicique item actione totali. Hoc, vt reor, Recentiores idem non abnuerent, si in eas difficultates incidissent, quas contra Lugo impugnatione tertiã, & contra Henricum num. 4. ab impugnatione 4. dedimus. Est igitur conclusio nostra. Toto vitæ tempore præter decretum, & actionem progenitoribus & causis naturalibus oritam, decreto & actione alia totali independentem, atque antecedenter naturæ ordine existisse Christum: eius autem sic existentis operibus ac meritis gratiam Progenitoribus collatam, vt per actionem secundam, suo quisque gradu, illum progignerent, ac deinceps in illa linea naturalium causarum seruarietur: quæ in se nulla

nulla mutua prioritas inter Christi merita, gratiamve Progenitorum intercedit, ut patet. Probatum primò: quia, ut commune iam est, ac fere in philosophia certum, idem effectus à duplici causa extrinseca totali siue actiua physica, siue intentionali, siue finali duplicique totali actione causali potest: ergo & Christus duplici decreto & actione totali potuit causari: atqui hæc solum viâ saluari potest sine repugnantia mutæ prioritatis inter merita Christi, & gratiam Progenitorum datam, ut tales esse mererentur, quòd Christus meritis suis absolutis (quæ solum merita esse d. antecedenti probauimus) gratiam obtinuerit à Deo, atque illi ex ea gratia esse Christi progenitores fuerint promeriti; ergo ita de facto contigisse dicendum est. Subsumptum patet ex impugnationibus datis tota hac questione opinionum hæcenus ad hanc difficultatem componendam excogitarum.

2 Probatum secundò conclusio vbi adest causa adæquata mortis viuentis, eius vita miraculosè atque independentè à causis secundis existit: Sed toto vitæ tempore adfuit Christo causa adæquata mortis: ergo eius vita toto vitæ tempore extitit miraculosè, à Deo independentè à causis secundis. Maior est perspicua; minor probatur facillè. Quia à principio conceptionis suæ adfuit Christo longè perfectior omnium peccatorum mundi, atque malitiæ, seu offensæ eorum in Deum cognitio: longè item maior amor erga Deum gloriæque Dei zelus, quàm in alio ex hominibus, imò in omnibus simul hominibus fuerit: iusuper Christus delicatiori, solutiusque faciliori corporis temperamento, quàm ceteri homines, utpote perfectiori, constabat: atqui tanta malitiæ aliquorum peccatorum suorum scilicet tantum, cognitio, tamque fragrans Dei amor in aliquibus hominibus fuit, ut præ dolore, licet robustiores, naturaliter obierint: ergo delicatior Dei que zelo, & amore fragrantior Christi humanitas, non aliquorum, sed omnium peccatorum & offensarum Dei malitiam viuidius semper intuitus naturaliter per momenta singula desereret, ni Deus miraculosè atque à causis secundis independentè ipsius seruaret vitam. Confirmatur: quia mali leuioris, quàm peccatum sit, leuiusque, atque imperfectius cogniti, horrore, pauore; atque tristitia naturaliter obierint: ergo mali, quod in peccatis est, perfectius longe à Christo cogniti horrore atque tristitia naturaliter Christus Dominus obierit.

3 Sed rursus illa minor, cui totum discursus nostri pondus incumbit, imò tota eius probatio ex Scriptura fundatur. Vbi tantus in Christo de peccatis hominum dolor, toto vitæ tempore fuisse dicitur, quantus ad eius intercessionem satis superque foret. Sic sæpe ex Christi persona Dauid aiebat Psalm. 118. *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam*, atque alibi: *vidi prauaricantes & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt* id est tantum de eorum peccatis dolorem concepi, quantus ad defectionem, & tabescionem sufficeret. Rursus: *Zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me*. Denique probo ex illo supremæ noctis ad Discipulos colloquio, in horro Gethsemani habito *tristitia est anima mea usque ad mortem*: id est adeò mihi magna tristitia adest, quæ me ad mortem perducere satis esset. Euthym. *ac si dicat, sicut in morte*. Eam verò tristitiam, cordis que dolorem non tam mortis proximæ horror, quàm nostrorum delictorum consideratio in Christi humanitatem inducebat: ut Patres, commentatores, & contemplatiui super eo loco meditantur: atqui hæc eadem toto vitæ tempore ipsi adfuit: ergo & toto vitæ tempore adfuit Christo tristitia, ac dolor de hominum peccatis quæ ipsum interimeret, ni à Deo miraculosè seruaretur: licet tunc solum nobis fecerit palam, quod semper interius patiebatur: integram ponderationem satis emphaticè nobis textus

R. P. Christoph. de Ortega de Deo vno & Trino.

græcus dedit vbi pro *tristitia* legitur *deus* id est *circumtristitia*: ac si dicat: toto vitæ tempore, quo præsens vita mea vltro, citroque cingitur, tristitia circumdò: quia tam meum anteaactum tempus, quàm vique ad mortem futurum, totum, totum in tristitia, atque dolore de peccatis hominum fuit. Pro discursus nostri coronide audiatur noster Salmeron tom. 10. tract. 11. §. *capit ergo tristitia*, vbi magnitudinem huius doloris ac tristitiæ Christi de hominum peccatis, cum quoad intensionem, tum quoad extensionem perpendens, in hæc Christum Dominum alloquitur. *Intensa quidem tristitia ob grauitatem doloris valens in te alserbere vitam, & deducere ad mortem, ob delicatissimam corporis temperaturam, quia spiritus tristis exsiccat ossa, & quidam dicuntur præ dolore peccati crepuisse. Extensa vero, quia, sicut perpetuò usque ad horam mortis passus es in corpore, ita perpetuò contristatus es in anima*. Quid illustrius? his autem verbis non solum tanta doctoris tacti auctoritas pro nobis est, sed & venerabilis illòque sæculo omnium sapientissimi Iacobi Lainez secundus nostri generalis Præpositi, cuius chartis, magnam partem, opus Salmeronis desumptum narratur: ergo & Lainez scribentis & Salmeronis subscribentis auctoritate noster discursus honoratur, ne nouitatis, & (ut sic loquar) gratuitatis deinceps arguatur.

4 Obiicit Lugo. Ut Virgo sit mater Christi apponitur materia quæ ipsius fuerit, coniunctio foetus ad ipsam per umbilicum, quæ omnia supponunt merita Virginis eiusque existentiam, sed quid ad nos? an actione maternitatis à Deo Christum independentè à causis secundis decretum & factum asserimus? materia quidem Virginis fuit, sed quatenus actioni ipsius Dei inferuuit, nil in illa à Virgine est factum; sed quatenus generatione sua Christi humanitas extitit primo instanti: ergo tandem, licet de morte, existentia humanitatis fuit causa sui ipsius: quandoquidem ex eius meritis gratiæque illis obtenta humanitas à Virgine producta est. Responderetur: quoties non datur existentia eadem præhabita in præmium, primòque aliunde habetur, non esse inconueniens meritorie remotè ad se ipsam præcedere, ut per posteriorem actionem etiam existat: ut constat ex impugnationibus, quas dedimus contra asserentes causas intentionales posse se ipsas causare: quæ eatenus solum probant, intelligendæque sunt, quatenus inter primò productas existentias ordine naturæ versari posse dicuntur, vel in præmium primo producta existentia datur. In casu autem nostro ipsa existentia Christi, prius natura producta à Deo non datur in præmium Virgini, sed maternitas, siue generatio, & coniunctio moralis cum filio: quomodo non præcessit natura Virginis generationem, nec ab eâ præbebat, quod secus habet in principio meriti præhabito à merente.

Instant ergo: Virgo non dicitur primò esse ordine naturæ; sicut reliquæ matres filiis: ac proinde non est mater Christi, atque, atque alia suorum filiorum. Impugnatio hæc æque tangit Lugo, & Merize, ex quo sumitur. Responderetur tamen facillè negando consequentis extremam partem: quia ad maternitatem strictissimam solum requiritur quod influxu suo det foetui primum esse in duratione, respectu cuius per accidens se habet, quod aliunde siue prius, siue posterius natura esse alio recipiat; Instat adhuc Bernal non esse assignabilem dependentiam actionis vnus ab alia simultanea: quare nec actionis Virginis ab actione Dei, erga Christi existentiam: quare nec esse assignabilem prioritatem huius respectu illius. Sed ratio à nobis assignata iam est.

Sed virginitatis dices: in instanti nullo, in quo concepta à Christo tristitia, & dolor de peccatis fuit, potuisse Christum mori præ illa, sine contradictione, licet vnico Christo decreto, & actione existeret. Ad eam

G G g i quippe

quippe concipiendā supponebatur in priori naturā pro illo instanti existere: quare ex illo signo impossibilis erat pro illo instanti negatio existentiae, licet pro sequenti sit defecturus: ergo ne deficiat in primo instanti conceptionis, opus non est vt decreto Dei miraculoso existat ne pereat. Respondetur pro instanti conceptionis permanere saltem rationem primam. Secundo permanere etiam secundam quia posita actione illā miraculosa in primo instanti, exigit sui & termini conseruationem pro secundo, pro quo vtriusque non esse vi tristitia antecedentis in primo futura alias erat. Quare conaturalius iuxta miraculosam prouidentiam conseruatur Christus, contra exigentiam tristitia primi instantis, in secundo posita miraculosa productione in primo independentē à causis secundis. Deinde, cum à Deo decerneretur Christus ex scientia conditionata doloris ac tristitia in primo illo instanti futura, oportuit antecedenter etiam eiusmodi decreto & actione independentē à causis secundis, eius existentiam anticipatō praeueniri, mortēque impediri gradu ad ipsam existentiam anteriori.

5 Ex Patribus, oppones Bernardum hom. 4. super *Missus est ita*, vt coelesti nuntio assentiat, adhortantem Virginem. *Hoc totus mundus tuū genibus prouoluit expectat non immeritō, quando ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captiuorum, liberatio damnatorum, salus denique vniuersorum filiorum Adam totius generis sui; ergo omnis gratia filiorum Adam dependet ex consensu, merito, & maternitate Virginis ac proinde è sua & progenitorum, vt tales esse merebantur.* Respondet bene Lugo pro se & pro nobis, loqui Augustinum de omni gratia filiorum Adam distributiue, sed collectiue; quae non esset, nisi dependenter de maternitate ex vi praesentis decreti, licet progenitorum gratia, vt tales esse merebantur independentē fuerit, ac foret à maternitate.

Secundō obicitur ex hug. de praedest. sanctorum cap. 15. *dicente quod eius bonum Christi, qualecumque praecessit? quid petiuit vt ad hanc ineffabilem excellentiam vnionis hypostatica perveniret? nonne faciente ac suscipiente Verbo, ipse homo, ex quo esse capit, filius Dei vnicus esse capit, postmodum autem, ex eo quod eadem gratia qua Christus natus est filius Dei, renascantur filij Dei Christiani, infert contra Pelagianos nullis eorum meritis tales Christianos fieri; quem discursum, & sententiam repetit de dono perseverantiae c. 24. ergo existentiam humanitatis & vnionis nulla eius merita praecesserunt. Praecedent autem, si ex meritis Christi gratia progenitoribus donaretur, vt tales fierent ipsūque procrearent. Respondet argumentum hoc non nostram conclusionem, sed suppositionem eius, quod scilicet ex Christi gratia progenitores eius tales fieri sint promeriti, scilicet Theologos fere omnes impugnare. Respondetur distinguendo consequens, nulla humanitatis merita praecesserunt vnionem, vt praemium quod mererentur, fateor; quia in instanti etiam primo, vnio existit ante meritum eius, ac praemij materia esse non potuit, sequebatur q. 1. d. 3. num. 5. de quo solum loquitur Augustinus, vt ex eius verbis, & insituro patet; alii posse praecedere, vt merita gratiae progenitorum, vt ipsam causarent, Christūque progignerent, fatendum omnibus est.*

## QVÆSTIO VI.

*De merito Christi, respectu gratiae datae crucifigentibus & aliis, ne in Christi mortem confluerent.*

**R**estrema hæc, sed inter primas rei huius difficultas est, quæque in totidem fere semitas, ac

praecedens, doctores egerit. Est autem huiusmodi. Christus omnis redemptionis gratiam hominibus, nonnullis morte consummatis meritis à Deo obtinuit, atque auxilia data accusatoribus; calumniatoribus; testibus; iudicibus; proditori; crucifigentibus hominibus, ne mortem quoque ex illis modo, peragerent, gratia redemptionis per Christum fuit: ergo ea ipsis obtinuit Christus per sua merita vt morte consummata: ergo ea auxilia Christi mortem pro priori naturā supponebant. Ex alia verò parte ad illam pro naturā priori supponebantur, vt quid à tanto scelere retraheretur datur mutua prioritas realis naturæ inter absolute futura auxilia, & mortem absolutam Christi, si numeratis hominibus ex meritis Christi huiusmodi auxilia donata asseramus.

## CERTAMEN I.

*Aliorum solutiones reuincuntur, & enervantur.*

**H**ic difficultati occurrunt Doctores iuxta opinionem h. q. 5. à nobis impugnatas. Quidam eiusmodi auxilia non esse principia per se requisita, adhuc impeditia, mortis inferendæ Christo, cum ex aliis posset liberè inferri: quare & posset sub merita Christi morte consummata venire. Constatu solutionem cert. 2. Alij esse principia remota, ac proinde posse cadere sub merita morte, quam praecedunt, consummata. Refelli, & hoc ibi. Recentiores Marciani posse causari à morte, quia hæc conditio solum moralis est ea auxilia est, & id reieci cert. 3. Soarista posset recurrere ad ordinem intentionis, & executionis, impugnatum cert. 1. quæ præterea locum hic minus habent quia ex intentione mortis Christi nequit Deus moueri ad ponenda auxilia, quibus mors ex parte actus primi impediatur: quemadmodum nemo nisi velans ex finis intentione efficaci, media ad oppositum apponere potest.

Dices intentam fuisse efficaciter à Deo, vt liberè ab hominibus patrandam: ad quod auxilia retrahentia homines ab illa perpetranda media necessaria sunt. Absurdior solutio. Cædes enim Christi, vt liberè patrandam ab hominibus, peccatum est, quod ne ineffaciter quidem à Deo potest intendi. Valquez d. 13. num. 24. & Luis Tornes aiunt auxilia illa data illis fuisse ob merita Christi, non consummata per mortem, sed per tolerantiam opprobriorum, quæ decursu passionis fuerunt in Christum iactata. Sed solutio hæc difficultatis metum frontem contra receptam à reliquis Theologis sententiam (de consummatione meritorum Christi per eius mortem respectu gratiae datae hominibus cunctis, quæ redemptionis est) perficitur: nec difficultatem sustulit, sed aliò transfudit. Etenim tolerantia memorata opprobriorum non est nisi liberè ab illis hominibus iactatorum: aliter enim opprobria non sunt: Vt autem liberè iactarentur in Christum, gratia ab eis retrahens æque atque crucifigentibus ac cadentibus ex Christi meritis conuictatoribus adfuit.

2 Audiui alios respondentes machinantibus, & perpetrantibus Christi eadem, vt illa abstinerent, datum esse solum minimum cogitationis, quod debitum naturæ rationali est, ac proinde non gratiam, nec ex meritis Christi datam; quare difficultatem cessare, quia falsum supponit. Hæc etiam solutio contra communem Theologorum soluit pudorem: docetque, quod, adhuc admissio minimum cogitationis sanctæ gratiam non esse, & tamen illo vitari posse antecedenter mortale in omnibus facilem illud facinus perpetrarunt defendi non posset. Etenim Pilati intencsam, vividamque, ac perfectam peccati, quod in tradendo Christum voluntati Iudæorum, damnandōque illum morte

morte committebat, habuisse, nec solum cogitationem minimam ac remissam, certum ex Evangelio est. Tertio: incertum est minimum intensiue cogitationis sanctæ, sicut & cuiusvis alterius dari posse, imo in horum opinione certum dari non posse. Etenim continuum ex infinitis partibus proportionalibus respondentibus componebant; in ea autem opinione nil aliquotum, siue determinatum, (quod solum produci à Deo potest) quantumvis duri minimi siue intensiue, siue extensiue produci valet, quominus & remissius produci non possit: ergo nulla à Deo remissa cogitatio dari potuit hominibus illis, quæ minima omnium possibilium sit: ac proinde, quæ non fuerit gratia per Christum, indebitaque naturæ rationali eorum. Quarto sit minimum cogitationis sanctæ retrahentis à peccato, possibile: an id naturæ rationali creationis iure debeatur, an sit naturæ indebitum, gratiaque Dei peccato deperdita ac per Christi merita, & redemptionem hominibus cunctis, quare, & machinantibus ac perpetrantibus Christi necem restituta? adhuc sub iudice lis est.

3 Gaspar Hurt. d. 14. dif. 14. §. 6. ob similitudinem respondet Christi tolerantiam, & mortem, quibus eius merita ad omnem redemptionis gratiam consummata sunt, non supposuisse auxilia gratiæ eam molientibus, & exequentibus data, quia mors secundum se eiusque acceptatio, & tolerantia à cogitatione eam illis dissuadente, & potius impediente, quam expediente, minimè pendeat; si autem mors secundum se, eiusque acceptatio, & tolerantia, quibus, ut sic, merita Christi ad omnem redemptionis gratiam consummata fuere, auxilia gratiæ illis hominibus data non supponebant, sine vlla repugnantia mutua prioritatis naturæ dari illis auxilia eiusmodi poterunt, datæque vt, communis sententia fert, ex meritis Christi de facto sunt. Cæterum quæ actiuitatem virtutemque in actu primo impediunt, se etiam ex parte actus primi tenere debent, ac pro illo signo naturæ ad sunt, ad illudque expectant: quia contrarij vires imminuunt, atque in actu primo debilitant. Cum ergo sancta cogitatio, seu gratiæ auxilia à patranda Christi morte homines illos retraherent, cogitationem oppositam eisdem in tantum facinus inducentem in actu primo impedirent, ne eos præcipites in illud ageret, ex parte actus primi supponenda pro priori naturæ ad mortem atque eius physicam tolerantiam sunt.

Contra secundò: non præcedant auxilia mortem physicam, eiusque in Christo tolerantiam, qua, ut sic, merita redemptoria Christi consummentur: aut mors physicè pro prioris naturæ reali ea gratiæ auxilia antecessit: ergo non fuere data eiusmodi auxilia retrahentia homines illos à morte Christi patranda, vt scilicet facinus immane vitarent; Patet consequentia: nam mors pro priori naturæ executæ, & vt talis, præuisa est impossibilis vitatu; ergo ex ea sic præuisa non magis, vt vitaretur dari auxilia possent, quam dari possunt, vt fiat aliquid chimericum, & impossibile, aut ad impossibile patrandum nequeunt dari auxilia: ergo nec molientibus, & exequentibus mortem dari poterunt auxilia, nisi pro priori naturæ ad eorum physicam molitionem, & executionem donarentur.

4 Hoc argumento coram impetitus Hurtado aiebat Christum Deumque in morte ipsius appetiisse non molientium & exequentium actiones, quas, vt pote iniquas & pessimas in genere moris vterque oderat pessimè; sed solum Christi passionem, & tolerantiam, quæ bona, honesta, ac valde meritoria erat, eaque, vt à Christo tolerata merita ipsius consummata fuisset redemptoriè, gratiamque molientibus & patrantibus ipsam fuisset promeritum. Sed contra; quia ante physicam mortem, quæ sublarat physicè merita consummata non essent, physica perditorum illorum hominum actio naturæ præcessit, non quidem

à Deo intenta (quod ad prioritatem, in qua est difficultas, refert parum) sed permessa. Secundò non potuit tolerantia mortis Christi eiusque passio esse pro priori naturæ ad meritum eius pro gratia redemptionis consummationem, quin, & actio per agentium mortem pro naturæ priori ad eius consummationem supponeretur, cum occidere, & occidi, interficere, & interfici, re ipsa, imò & formaliter idem sint, solumque voce differant tenus: ac proinde actio; & passio grammaticaliter solum diuisa sint. Si ergo, & occidentium actio, & mors ipsa in facto esse exercita siue executæ, præcedit prævideturque ante auxiliorum retrahentium collationem, quomodo, vt eius patratores eam non patrent, pro posteriori dabantur, quin deatur ad impossibile, vt secundo loco arguebam.

Tertiò efficacius argumentor ab absurdo; quia, si cogitationes, siue auxilia homines illos à morte patranda retrahentia data illis non sunt, sed pro posteriori naturæ ad eorum patratiorem, ac mortem executam tolerantiamque: cum illi ipsis auxiliis eorum libertas ad eam patranda mortem pro priori naturæ constitui deberet, vt libera ipsis ac peccaminosa eiusmodi patratiore foret: fiet sane, nec mortem Christi molientes, patrantes, & exequentes in eius patratiore liberè fuisset operatos, quare nec in ea peccasse: quod est erroneum, dicente Christo, maius peccatum habuisse, qui ipsum & Phariseis, & Pilato tradidit: vbi eos omnes eam in re declarat peccatores fuisset; Iudam autem iniquissimum.

## CERTAMEN II.

*Nostri eaque solidior proposita difficultatis satisfactio.*

1 Solidius ergo & verius difficultas proposita à vobis expeditur. Dicimus enim duplici decreto, eandemque adæquata mortis suæ occisum esse Christum: altero quidem independenti à patrantibus eius mortem, quæ viâ occisus consummauit merita respectu gratiæ redemptionis dandæ crucifigentibus, vt à morte patranda abstinerent: altero verò dependenter à voluntate, & actione crucifigentium mortemque Christi patrantium. Morte igitur independenter ab hominum illorum actionibus causata, consummata Christi merita sunt, sicque præuisa illis auxilia gratiæ, quibus à tanto scelere retraherentur, à Deo obtinuerunt: quibus ipsi abutentes liberè ac scelerè pro naturæ posteriori causas mortis eiusdem adæquatas adhibuerunt: quin inter mortem Christi, & gratiæ auxilia mutua esset prioritas, sicut de gratiâ progenitoribus datâ per Christi merita vt existentis decreto, & actione totali independenter à causis secundis philosophabamur. Ratio ex his quæ de facto fuerunt omnibus perspicua est. Etenim vt quæst. proximâ cert. 5. a num. 2. docebamus; is humanitati Christi dolor fuit de hominum peccatis, Deique offensis, eaque toto vitæ tempore tristitia, quæ ad eius interitionem satis superque foret, ni miraculosè, & à causis secundis independenter à Deo conferuaretur, vt existeret. Huius ergo doloris exigentiæ atque acceptationi, & oblationi sui in mortem pro hominibus à Christo semper, sed in hortu palam factæ illis verbis, *non sicut ego volo, sed sicut tu ac rursus non mea voluntas, sed tua fiat*, annuens Deus, decreuit Christum tali tempore mori suspensione concursus, quo miraculosè ab ipso contra doloris & tristitiæ impetum tandiu seruauerat, sicque præuisâ morte, & consummatione meritum, exinde gratiæ auxilia sufficientia, Iudæis, Pilato, carnificibusque distribuit, quibus possent à morte patranda detineri, si vellent; quibus tamen acceptis causas totales mortis

Pro illo eodem tempore futuræ ipsi applicuerunt, ac Per summum scelus Christum necarunt.

2. Obiicies ergo: deficiente passione, & crucifixione à Iudæis, iudice, & tortoribus factâ Christus de facto obiisset. Patet: quia pro naturæ priori, vt eis donarentur auxilia mors supponitur aliunde factâ absolute: Confirmatur: quidquid à duplici causa totali fit, alterâ sublata absolute perseverare debet de facto; alioqui si alterâ deficiente deficit effectus, neutra causa totalis est. Respondetur distinguendo consequens, vi causalitatis, & influxus si prima causa maneret, sublata aliâ, concedo consequentiam; absolute, nego consequentiam; quia aliunde potest esse connexio duplicis illius causalitatis totalis, vt alterâ positâ nequeat non esse & alia; & sublata altera, nequeat non & alia auferri; Nouit itaque Deus ac decreuit si ad exigentiam tristitiæ ac doloris Christi, eiusque acceptationis anxietate oblationis sui in mortem eam decerno, quam vt consummatiuam redemptionis, ac meritorum eius exopto, videoque executam, dabo auxilia gratiæ proditori, accusatori, iudici, & tortoribus, vt ab eius morte suo quisque gradu abstineant: vidit mortuum absolute ex vi primi decreti, exindeque necessitate consequenti ea omnia auxilia data illis sunt, morisque ab ipsis secundò causata, logica impossibilitate ea omnia non eueniendi, ac mortis secundò ab eis non causandæ. Ast inquis: vt quid auxilia dabantur vt mortem vitarent, quam absolute auxilia supponebant? Respondeo: non, vt absolute vitarent mortem, sed ne ad eam concurrerent ponerentque re ipsa secundò; vt ipsi autem putabant primo.

3. Oppones secundò: mors Christi absolute supponitur futura vi anterioris decreti, ante auxilia illis hominibus data, eorumque actiones: ergo Iudæi, Pilatus, & crucifigentes non occiderunt Christum; quod est aperte contra Scripturam. Patet consequentia. Nam occisio essentia suâ supponit viuum eum, qui ipsa occiditur, non mortuum: atqui per nos actiones omnes parantium, atque exequentium Christi mortem supposuerunt naturâ Christum mortuum, non viuum: ergo non fuerunt propriè occisiones Christi: ergo, qui eas exhibuerunt, non occiderunt Christum. Nego primam consequentiam ad cuius probationem distinguo maiorem: supponit naturâ viuum ac non mortuum occidendum, nego maiorem; tempore supponit, concedo maiorem. Et admittâ minori, nego consequentiam. Ratio est prona quia ad mortem solum supponitur vita tanquam terminus à quo, quasi mutationis à vita ad mortem, qui terminus mutationis nusquam nisi tempore præcedit; Sin ostendant, quo cause genere vita in viuentis mortem influere desinat: aut quomodo mors ad viuentis generationem (cuius eadem est ratio) concurrat.

At inquis, Christi oblatio in mortem supponebat malitiam ac determinationem Iudæorum de eius occisione ac proinde & auxilia data, ne eum occidere decernerent: ergo non citatur mutua prioritas cum hæc oblatio decretum primum de morte Christi antecesserit per nos. Antecedens videtur apertum apud Evangelium Ioannis. *sciens Iesus quia venit hora eius.* Atque illis etiam verbis: *desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar.* Nego antecedens. Licet enim eam scientiam absolutam de sua passione, & morte, nec solum tunc, sed ab initio, conceptionis suæ Christus haberet, rectèque seruat Ioannes; at se ex illa scientia Patri in mortem obtulisse, nec Ioannes docet, nec est admittendum, sed solum ex scientia conditionata mortis à Patre decernendæ si se offerret. Esto: cum se à Iudæis vitæ occidendum occurrit seseque obtulit, ex scientia determinationis eorum sese obtulerit; sed eâ ratione ipsorum auxilia, ne mortem pararent, non præcessit.

Denique instabis, dolorem, & tristitiam quæ primum illud decretum antecedere, fuisse de peccatis omnibus

futuris, inter quæ erant crucifigentium; vnde maior prioritas inferitur, quam vitare conamur. Sed respondeo fuisse de omnibus aliis, non de crucifigentium, mortemque parantium, licet eorum etiam dolorem, & tristitiam haberet: aut cum in dolore aliorum satis ad mortem esset, eorum solum dolor attentus ad decernendam suspensionem conuersus fuit.




## DISPUTATIO III.

## De Christi Domini satisfactione.



BLONGAM alij hac de re disputationem texunt, quia, vt paucula controuersia de satisfactione hac remissa tradant, alia omnia repetenda hic sunt. Nos verò, qui nil ibi, quod ad satisfactionem spectet omisimus sed rem totam absolui-mus, breui præsentem disputationem expediemus diu-bus nempè breuiculis quæstionibus. Prima erit, quoniam Christus Dominus satisfecerit? secunda ex qua virtute fecerit pro omnibus satis.



## QVÆSTIO I.

## Quoniam Christus pro omnibus satisfecerit?

**D**E duobus quæstio esse potest, an vtroque, vel altero Christus pro omnibus satisfecerit: nempe de meritorius ipsius operibus de quæ respicit oblatam, puta, vitâ Deo à Christo oblata, per mortem, sanguine per verbera, ac similibus.

## CETARMEN I.

## Meritis suis Christus dominus pro omnibus satisfecerit superabundanter, ac nostrâ à Deo opera non exclusit.

**D**ico primò: Christus suis meritorius operibus pro omnibus superabundanter satisfecerit. Hæc Patrum omnium communis conclusio Catholicis omnibus, imò & hæreticis indubitata, sapissimè in Scriptura, tum nouâ, tum veteri expressa, Paulo præsertim tertio quoque Verbo inculcata. Idcirco testimonium Scripturæ, & Patrum recitandis, doctoribusque Theologis recensendis, vti superfluo labore, abstinere: cum vno verbo referri pro ea omnes possint. Ratio Theologica ad manum cuique est. Cum enim disp. r. q. i. ostenderimus quodvis Christi meritum infinitum simpliciter esse: atque de ratione meriti infiniti simpliciter sit præmium omne possibile meritis, insuper omnium peccatorum remissio, tam quoad culpam, quam quoad offensam (etsi hæc à culpa & malitia diuersa esse admittatur) & quoad omnia merita ex illis contracta, sic præmium possibile respectu Christi Domini, qui, vt pote nostri omnium caput, eorum remissione potest in omnibus præmiari: ergo vnico solum actu meritorio eam nobis cunctis remissionem, non solum condignè, vt nulla ipsi à Deo fieret gratuita liberalis donatio, sed superabundanter: siquidem, nec omnes possibiles remissiones datæ de facto sunt, nec si darentur illius vnici actus meritorius æquarent, nedum excederent. Quod si vnico actu superabundanter